

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Epistola dedicatoria.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



*Magnificentissimis, Amplissimis, Nobilissimis, Prudentissimis,
Potentia & Auctoritate Eminentissimis
Dominis,*

**DD. CONSULIBUS,
DD. QUÆSTORIBUS,
DD. TRIBUNIS,
DD. SENATORIBUS,**

*Illustrissima ac Præpotentis Reipub. Bernensis Spectatissimis,
Gravissimis, Dominis suis Clementissimis,*

Constantem & perennaturam hujus & futuræ vitæ
felicitem precatur,

JOHANNES HENRICUS HUMELIUS,
Jesu Christi Servus.

~~~~~



*Ationem exaltat Justitia : probrum verò Na-  
tionum est peccatum, attestante Salomone Re-  
gum sapientissimo, Prov. 14:34.*

Hodiernorum quidem mundanorum ac  
carnalium Politicorum vulgus sibi persuasum  
habet, gloriam populi cujusque summam in  
externo splendore ac dominatu, in civili pru-  
dentia atque potentia, in temporalibus divi-

Politico-  
rum de  
Reipub. fe-  
licitate ju-  
dicium.

tiis ac deliciis, aliisque istiusmodi seculi hujus commodis, consiste-  
re : *Alij* ex hoc censu Rerump. firmamentum in illarum conso-  
ciatione ac confederatione cum Potentibus Monarchis, Regibus  
ac Principibus, aliisque conjurationibus licitis illicitis, unice quæ-  
runt : *Alij* supremum securitatis culmen atque apicem in splen-  
didis

E P I S T O L A

didis ac benè munitis urbibus, in propugnaculis inexpugnabilibus, in circumvallationibus fossisque ponunt: *Alij* denique in subdolis versutiis, Machiavellicis artibus, infinitisque humani cerebri inventionibus, eandem constituunt.

Scriptura  
eam Justi-  
tiæ vendi-  
cat.

At Salomon cùm humanâ, tum divinâ sapientiâ præstantissimus, multò secùs judicavit, omnem Nationum gloriam uni JUSTITIÆ ex affe adscribens: *Justitia*, inquit, *exaltat Gentem*. Benè: Nam ubi Justitia, ibi Deus; ubi Deus, ibi nihil deest: Est enim **יְהוָה**, *Gen. 17:1. Omnipotens ac omnisufficiens: Est bonus, at sine qualitate; magnus, at sine quantitate; est præsens sine situ; sempiternus sine initio, sine tempore, sine fine. Deus Jacobi est locus editus, Ps. 46:8. Nomen Jehovæ est turris robusta, quò accurrens justus, in edito collocatur, Prov. 18:10.*

Justitiæ va-  
ria genera.

Observare autem hîc juvat, *Justitiæ* vocem multiplici notione in SS. occurrere: Datur enim

1. Divina.

I. *Justitia Divina*, seu Justitia Dei, eaque

Tum *Naturalis*, quæ est essentialis ipsius rectitudo ac sanctitas, quâ fit ut malum (culpæ) nullo modo mandare, facere, aut ab alio factum approbare possit, *Habac. 1:13.* id enim contradictionem implicat, siquidem hæc justitia sit ipsa Dei essentia, atque adeò ipse Deus, adeò ut Deus esse desineret, si justus ac sanctus esse desineret. *Vide Bernard. de Temp. Nemo alius sic justus est, 1. Sam. 2:2. Nemo sic bonus, nisi unus, nempe Deus, Matth. 19:17.*

Tum *Moralis*, ut nonnulli appellant, quæ nihil aliud, nisi Divinæ exercitium justitiæ designat: *Justus enim est Jehova in omnibus viis suis, Psalm. 145:17.* Hæc elucet *vel in dictis*, & fidelitatis seu veracitatis nomine venit; *vel in factis*, eaque rursus in *commutativam* ac *distributivam* dispescitur; quarum illa Deo nonnisi impropriè tribui potest, cùm omnes creaturæ absoluto ipsius imperio ac potestati sint subjectæ; *Rom. 11:35.* ista verò propriè, estque iterum vel *Remunerativa*, vel *Vindicativa.* *Psalm. 37. tot. 2. Thess. 1:5, 6, 7.* De quibus omnibus videri possunt Theologi: neque enim mei instituti est nunc de iis fusiùs differere. Sed (quod ad propositum facit) quæritur, numquid Salomon in allegato textu de hac *Dei justitia* loquatur, quando dicit, *justitiam exaltare nationem?* & respondeo, illum quidem non directè & expressè de ea loqui, eam tamen includere ac supponere: ipsa quippe Dei justitia postulat, ut,  
sicut

## DEDICATORIA.

sicut injustos ac malos pœnis, ita justos bonosque præmiis afficiat, 2. *Thess.* 1: 5, 6, 7. útque eos, qui justitiam ac sanctitatem ipsius exaltant, laudibus celebrando, magnificando, imitando, vicissim exaltet, secundum promissum: *Honorantes me honorabo.* 1. *Sam.* 2:30.

II. *Justitia Angelica*, justitia seu sanctitas Angelorum, quæ <sup>2. Angeli-  
ca.</sup> pura quoque, perfecta & firma est, sed tamen non infinita, ut scitè *Bernardus*: *Apud Angelos est justitia recta, pura & firma, sed divinâ tamen inferior; à Deo collata, non ipsis innata; justis ex eo, non coram eo; munere ejus, non comparatione ejus.* De hac non loquitur textus: nullus enim populus, nullus homo in his terris tali justitiâ præditus est, *Psal.* 14:3. *Eccles.* 7. Et qui sic justis sunt, jam exaltati sunt, cum perfecta justitia non nisi in cœlo, loco illo *perfectionis* (non *partium tantum, sed & graduum*) obtineat, neque in aliis reperitur nisi in beatis, qui demum sunt *ιστάγῆλοι*, *Luc.* 20:36. adeoque *perfectè justis.* *Heb.* 12:23.

III. *Justitia humana*, quibus ornati sunt, aut esse debent <sup>3. Huma-  
na.</sup> homines in hac vita, & *in genere*, (ut de *imputata Christi justitia* nihil dicam) comprehendit omnes virtutes, quibus illi tanquam splendidâ quapiam veste ad normam totius Legis utriusque Tabulæ amiciuntur: *Deut.* 6:25. *Psal.* 132:9. secundum illud: *Ἐν δὲ δικαιοσύνην συνδύβδην πᾶς ἀπετ' ἔστ.* Justitia hæc non nascitur nobiscum, nec eandem veluti cutem ex utero Matris nobiscum afferimus, quemadmodum animantia pelles: neque innata est nobis, neque annata: natura enim nostra vitiosa ac putida, & quanta quanta est, planè corrupta existit, & quisque hominum necesse habet fateri cum Psalte regio: *En, in iniquitate formatus sum, & in peccatis me fovit Mater mea, Psal.* 51:7. *Omnes sunt sub peccato, sicut scriptum est: Non est justus, ne unus quidem, &c. Rom.* 3:9. *seqq.* Sed hæc Justitia à Deo per Spiritum regenerantem ac sanctificantem in corda nostra infunditur; estque, quamdiu in hac degimus vita, imperfecta multisque inquinata nævis, attamen vera ac recta; At in altera vita erit pura, recta & perfecta. Optimè *Bernardus*: *Nostra (si qua est) humilis justitia, recta forsitan, sed non pura: quomodo enim pura, ubi non potest abesse culpa?* Et de hac Justitia (seu studio pietatis omniumque virtutum) accipi possunt Salomonis verba: *Ejus quippe cultura exaltat, i. e. celebrem felicemque reddit populum, gentem ac nationem,* *Deut.* 5:35. & 6:17, 18, 19. & 7:12-15. & 28:1. *seqq.* & 4:6, 7. *Psal.* 73:28.

Hæc ornamentum est ac munimentum populi.

¶

EPISTOLA

148:14. Deuter. 26:18, 19. Exod. 19:5, 6. &c. Quæ, & sexcenta alia loca, assertionem nostram disertè abundèque probant.

Omnes quicumque ita veræ sunt cultores Religionis, sinceræ observatores pietatis, qui non *μόρφωσαν* tantum, sed *δύναμιν ἐν τελεταῖς* habent, 2. Tim. 3:5. qui sunt ejusmodi populus sanctus Jehovæ, illi fanè & ornamentum sunt & munimentum præstantissimum:

1. *Urbis*. Quamdiu Jerosolyma fuit *urbs fidelis, plena jure, in qua justitia pernoctabat*, Jfes. 1:21. tamdiu mansit *Urbs amplissima populo, amplissima inter gentes, princeps inter provincias*, Thren. 1:1. Statim verò atque *meretrix effecta* fuit, cogebatur *sedere solitaria*, &c. *ibid.* Vide & Zach. 8:3-9. Joël. 2:1.

2. *Totius territorii ac ditionis*: terra enim talem populum sustinens, est *terra desiderij*, (seu desiderata, vel desiderabilis) Dei, & possessio decora, Jfes. 3:19. (vel 14.) Ps. 106:24.

3. *Integræ nationis*: *Exaltant enim nationem*. Sunt decus omnium regionum, Ezech. 20:6, 15. Dan. 8:9. & 11:16. Non abs re Josephus Remp. tales alentem cives vocavit *Θεοκρατεῖαν*, quandoquidem, ut Prosper notat, recipit jus Dei, cultrix est justitiæ, quæ fanè pacem alit ac tranquillitatem cum omni pietate & honestate: Est enim justitia publicæ pacis, si qua alia, conservatrix optima. Vid. Jfes. 32:16, 17, 18. *Φιληήσουχία δικαῖς θυγάτηρ*, ait Pindarus, Vates Thebanus.

Summâ, sicut *justus Jehova, quæ justa sunt diligit*, Ps. 11:7. ita justorum singularem gerit curam, & in vita & in morte:

**N.** *In Vita* quidem, teste Davide, Ps. 58:11, 12. *letabitur justus*: utique fructus est justo: Salomone, Prov. 10:6. *Benedictiones adsunt capiti justi. Oculi Jehovæ ad justos, & aures ejus ad vociferationem ipsorum attendunt*, Ps. 34:16. Vid. & Ps. 145:17-20. Jac. 5:16. Conf. 1. Reg. 8:59. Sirac. 35:19. Ps. 34:20. & 37:25. & 68:4. & 92:13. Prov. 28:1. Ps. 97:11, 12.

**2.** *In morte* quoque: *Justus enim in morte sua spem retinet*, Prov. 14:32. Job. 13:15. Sæpe ex hac vita eripiuntur antequam mala ingruunt, Jfes. 57:1. (vel 5.) *Memoria justi est benedicta, nomen autem improborum putridum est*, Prov. 10:7. Vid. & Ps. 112:6. Prov. 10:30. *Justi ingredientur in vitam æternam* (Matth. 25. ult.) & *splendebunt solum instar in regno Patris sui*, Matth. 13:43. Imò & *generatio ipsorum erit benedicta*, Ps. 112:2.

Deoque  
singulari-  
ter curæ  
sunt in vita  
ac morte.

4. Forensis.

IV. Præter *universalem* hanc justitiam, ambitu suo omnes com-

## DEDICATORIA.

complectentem virtutes, omnibusque convenientem hominibus, datur quoque *singularis* quædam *justitia* Magistratus decens, nonnullis *legalis* dicta; posset autem commodè *judicativa* aut *forensis* appellari; per quam Magistratus præmia ac honores bonis, multas vero ac pœnas malis (observatâ proportionem geometricâ, i. e. pro cuiusque conditione ac meritis) distribuunt; (hinc *distributiva* justitia dicta, & in *remunerativam* ac *vindicativam* sive *punientem* distinguenda) per quam etiam enituntur atque elaborant, ut justitia *commutativa* inter subditos suos ubique locorum exerceatur ac floreat, in contractibus emtionum ac venditionum, locationum ac conductionum, &c. in cura atque custodia depositorum, in tutelis, administratione bonorum publicorum, eleemosynarum, aliisque similibus rebus. Jam justitia est conservatrix humanæ societatis, absque qua ulla beatitudo aut felicitas in hoc mundo esse nequit: Cum primis verò *Justitia* Magistratum est, quæ *populum exultat*; imò hæc præ reliquis virtutibus, cunctis præcipuum & quasi unicum Rerump. omniumque humanarum societatum fulcrum est & columen, teste ipso Spiritu S. *Prov. 29: 2. Quum auferentur justi, letatur populus; quum autem dominatur improbus, suspirat populus.* Et v. 4. *Rex iudicio stabilit regionem, &c.* Gravissima in hanc rem sunt Davidis Regis moribundi (eoque accuratius pensanda) verba *2. Sam. 23: 2, 3, 4. Spiritus Jehovæ locutus est in me, & sermo ejus per linguam meam: Dixit Deus Israël, mihi locuta est rupes Israël: qui dominatur hominibus, justus esto, dominans in timore Dei: Et erunt, ut quum lucente manè oritur sol, ut manè non nubilo herba tenera è terra existit à splendore post pluviam.* En quomodo Rex hic pientissimus impulsu Spiritus sancti omnes Magistratus ac Præsules exhortatur ad justitiam, adjunctâ eximiâ omnigenæ felicitatis promissione! Sanè quidem justitia omnes homines decet ac ornat, cuiuscunque conditionis ac ordinis sint; attamen imprimis Regnantium ac Dominantium est, esse Dei timentes, justitiæque amatores ac cultores, si velint populo ac nationibus non solum præesse, sed & prodesse; si velint simul *probrum nationum* abstergere ac averruncare, adeoque Remp. reddere gloriosam ac felicem. Sic in ultima sua ad Salomonem filium suum exhortatione, *1. Reg. 2: 3. Observabis observationem Jehovæ Dei tui, ambulando in viis ejus, servando statuta ejus, & præcepta ejus, judiciâque ejus, & testimonia ejus, sicut scriptum est in lege Moysis; ut secundes*

Hæc quoque Reip. fulcrum est, & exaltatrix populi.

Conf. Prov. verb. 4: 18. Hof. 6: 5.

\*\*

quid-

EPISTOLA

*quidquid feceris, & quocumque te verteris. Cui suffragatur Salomon, filius ejus, Prov. 16:12. Justitiâ solum stabilitur.* Huc facit Psalmus centesimus primus totus, speculum illud boni Principis. Summâ: Ubi illi, qui rerum potiuntur, induti sunt regiâ veste justitiæ, ibi populus exultat præ gaudio in amictu salutis: si in illis justitiæ lux apparet, tum salus populi ut lampas splendebit: Sceptrum justitiæ in manu pii Magistratus est baculus consolationis in manu populi.

Justitia ritè  
& debito  
modo ad-  
ministran-  
da.

Justitiæ igitur administratio ad salutem celebritatèmq; Reipub. ac populi promovendam atque conservandam summè necessaria utilisque & efficax est: *Justitia* (ait Salomon) *exaltat nationem.*

Veruntamen & *rectum illius administranda modum* accuratè observari necesse est, intrâque præfixos juris & æqui limites contineri, si supremo Numini placere Nationèmq; exaltare debeat: Ut enim defectus ejus, ita & excessus atque exorbitatio, plurimum habet periculi ac damni; perinde scil. res se habet cum Reipub. seu *Corpore po-*

Reip. cum  
corpore, &  
justitiæ  
cum arte-  
riarum pul-  
su compa-  
ratio.

*litico* (ut non nemo haud incommodè observat) atque cum *Corpore humano*, & utriusque constitutio aptè inter se respondet. Ut enim

pulsus arteriarum arguit constitutionem corporis humani, sic justitiæ administratio constitutionem Corporis politici. Si nullus planè pulsus in corpore humano adest, cadaver erit; si pulsus vehementior & inæqualis, febris sæpè periculosa adesse solet; at si æqualis fuerit sibi que respondens ac proportionatus, tunc bonæ valetudinis firmæque & exoptatæ constitutionis index est. Similiter se res habet cum Corpore politico, seu statu Reipub. cujus *pulsus est justitiæ administratio atque executio*: si planè *nulla* fit, tum mors atque interitus Reipub. imminet. Quid enim juvat multa decernere? quid prodest bonas sanciri ac promulgari leges, si executio supinè negligitur? si iusta, zelo, quo par est, effecta non dantur? Hujusmodi leges campanis similes sunt, pilo seu tudite, motu suo sonum ciente, destitutis. Alii

*μορμολυκίαι* seu larvæ, abigendis avibus sub forma humana, vel alia quavis, in prædiis erectæ, illas non malè comparant. Talibus enim terri culamentis principiò quidem simplices aviculæ à feminibus & frugibus arcentur, verùm ubi cum tempore nullum sibi adversum motum in illis observant, metu paulatim excusso, indies propiùs accedere tentant, donec tandem, omni metu liberatæ, prorsus ad illa advolant, capiti & humeris insident, & quod turpissimum, stercore suo coinquinant. Nihil est quod Magistratum auctoritatem magis im-

minuat

## DEDICATORIA.

minuat & pessumdet, quàm intermissio executionis legum promulgatarum. Multò præstitisset nihil unquam decrevisse, quàm decreta non exequi. Vanus enim & irritus hujusmodi conatus docet homines vel leges contemnere, tanquam non bonas; vel transgredi contentè, tanquam non ratas. Quorum utrumque quàm injurium sit cùm in legum sanctitatem, tum in Magistratum auctoritatem, nemo non videt, cui occiput sincipite prius non est. Non igitur sine causa socer Mosis genero auctor fuit, *Exod.* 18:21. ut judices populi curaret eligi *viros strenuos, seu viros roboris*, i. e. imperterritos & fortes, qui nec malorum ronchis ac minis, nec prece, nec precio, aliisve respectibus à justa justarum legum executione ullo modo dimoveantur. Sed redeamus ad nostram utriusque corporis comparisonem.

Quòd si *justitiæ executio* quàm par est sit *violentior*, tum status est febrilis; mox frigidus, mox fervidus, adeoque inæqualis, injuriosus magis quàm justus; nôstis enim, quòd *summum jus sæpe summa sit injuria*. Si igitur pulsus statûs inæqualis sit & violentior, Resp. benè non habet. In feбри duplex est calor, alter naturæ, alter morbi: si naturæ calor prævalet, homo vivet, sin morbi, morietur. Similiter si in corpore politico calor natus, seu potiùs supernaturalis & Spiritus sancti prævalet, benè se habet: Sin verò calor corruptus seu corruptæ naturæ regnat, tum mors est in olla & ruina statûs præforibus. Astronomorum est observatio, quòd primi mobilis tam vehementis & celer sit motus, ut orbem incensurus esset, ni per cœlum crystallinum temperamentum ei fieret. Sic justitiæ executio dicitur esse in Rep. primum quasi mobile, sed temperatum crystallinâ æquitate, mansuetudine & sapientiâ, ut paulò post pluribus docebimus.

Si *justitiæ executio* est *æqualis* & *benè proportionata*, ut superius indicatum, tum status Reip. sanus est & integer; tum salus populi promovetur, quæ sanè suprema lex meritò esse dicitur; tum *tranquilla* & *quieta vita cum omni pietate* & *honestate* transigitur. Vocem populi hîc collectivè sumimus, sic, ut salus Magistratûs & subditorum eâ intelligatur; prout etiam voce *corporis* & caput & membra includimus. Remp. hisce constantem partibus si velimus habere florentem, justitia sanè nobis ejusque executio cordi (ut dictum) & curæ esse debet; si & Præpositorum & subditorum, totiùsque adeò Reip. salutem spectare libet, virtutes colere, justitiam amare, & vitia coercere oportet.

## E P I S T O L A

Justitiæ administratio esse debet,

I. Equas

I. *Æqua seu neutram in partem inclinans.* Sicut Deus personas non respicit, divitem ac pauperem, magnum atque parvum æquè audit, nec parvum pauperemve propter exilitatem & paupertatem rejicit, neque divitem & magnum ob amplitudinem & divitiarum copiam acceptat: Ita Præfules atque Magnates, *Pf. 82:1-6.* Divocantur, ideò etiam æqui, & à partium studio alieni esse debent, & personas in judicio non respicere. Sic namque eis præceptum, *Deut. 1:16. 17.* *Judicate justè inter virum & fratrem ejus etiamque peregrinum ei: ne suscipite personam in judicio, æquè parvum & magnum audite, ne metuitote à quoquam, nam judicium ipsum Dei est.* Et *Lev. 19:15.* *Ne exercetote perversitatem in judicio, ne accipito personam tenuis neque honorem exhibeto personæ magni; justè judicatio proximum tuum.* Causa spectanda in judicio, non persona. Hinc judices Athenienses nocte judicabant, ne personas respicerent, sed judicium æquum ferre possent. Hinc quoque statuæ judicum Thebanorum absque manibus & oculis erant, ut eo innuerent, quòd judicium non sit acceptare munera & respicere personas. Audiendus est & accusator & reus sine affectibus & personæ respectu. Sicut Salomon, *Prov. 18:5.* sanctè monet: *Accipere personam improbi non est bonum, pervertere justum in judicio, est nefarium, est pessimum:* qui enim personam improbi suscipit, quia dives, potens, amicus, &c. atque eâ re causam illius æquiorum judicat, vel qui vice versâ causam justum in judicio deprimat ac condemnat, is est Judex improbus, & grave admittit scelus, quia basin Reip. (quæ est justitia) evertere, imò ipsius Dei judicium pervertere conatur. *Judices iniqui errant à veritate sententia, dum intendunt qualitatem personæ,* ait Isidorus, l. 3. de summo bono. Diodorus Siculus refert, Judices Ægyptiacos gestasse numismata de collo pendentia, sed preciosis gemmis ornata, quæ imaginem veritatis referebant; ad significandum, Judices debere esse amatores ac probatores veritatis, debere omnia probè examinare, accuratè pensitare, & penitus discernere ac cognoscere, quòd veritas inveniatur. Sic ipse summus Judex fatis emphaticis præcipit verbis, *Deut. 13:14.*

At rari existunt his temporibus ejusmodi Judices. Rari tales, qualem Ferdinandus *Gonzaga*, Præfectus Mediolanensis, superiori sæculo se præbuit. Is namque, uti historiæ non absque summa laude de eo referunt, hoc rigidæ justitiæ exemplum in posteros edidit. Erat

Hispa-

## DEDICATORIA.

Hispanus quidam, Præfectus Comensis, qui civem homicidii reum in vinculis tenebat. Ejus conjux præstanti admodum formâ, vehementer mariti liberationem urgebat, cujus etiam Præfectus certam spem fecerat, siquidem suæ libidini turpiter se submitteret. Uxor re cum captivo communicatâ, mariti permisso, lascivo Præfecto morem gerit; At nihil hætenus obtinuit; quia Hispanus etiam æri afflictæ inhiabat, & ducentos insuper ducatos pro viri libertate infano ausu flagitabat; qui quoque à misella fuerunt numerati. Sed quæ hætenus honore & nummis emuncta fuit, nunc etiam marito privatur à tyrannorum crudelissimo. Nam Hispanus quidem maritum vinculis solvit, sed mox à carnifice capite truncandum. Multiplici hac injuriâ ac miseriâ mactata mulier Mediolanum se confert ad Præfectum, quæstum insignes has Præfecti sui Comensis injurias. Hac re perceptâ Gonzaga Hispanum accersit, examinat, condemnat non solum acceptæ pecuniæ, sed dotis insuper 800. Coronatorum. Atque ut honori quoque viduæ violato consulere, Hispanum præterea coëgit illi matrimonium promittere: quod illicò etiam à Sacerdote fuit consummatum. At tristes nuptiæ sequutæ sunt, nam loco paranyphi carnifex accessit, qui ipsum jussu Gonzagæ in malam rem abripuit. O rarissimam & summis laudibus celebrandam justitiæ administrationem!

Ut autem justitiæ administratio debet esse æqua & in neutram partem inclinans: ita

II. *Prompta & expedita*, nihil cunctando. *Jer. 21:12.* O domus <sup>2. Prompta ac expedita.</sup> Davidis, sic ait Jehova, exercete quolibet mane jus, & eripite eum, qui rapinam patitur e manu opprimentis, ne prodiens velut ignis excandescenscencia mea, ita ardeat, ut nullus extinguat, propter malitiam actionum vestrarum. Q. d. Ita sanè fecit pius Rex David vester progenitor: singulis matutinis exercebat jus, excindendo omnes improbos terræ. *Pf. 101:8.* Ipse erat exercens judicium & justitiam in toto populo. *2. Sam. 8:15.* (9:1.) *1. Chron. 18:14.* Igitur & vos laudabilibus progenitoris vestigijs insittite, qui vosmet ipsius filios esse gloriamini. Moses quoque justitiam sic administravit, uti videre licet *Exod. 18:13.* Quotidie à mane usque ad vesperam sedebat ad judicandum populum, nihil procrastinando. Et hoc est ipsum, quod requirit Deus à judice, *Jesa. 16:14.* ut promoveat justitiam, ut promptè & absque dilatione procuret jus. Omnes qui præsumt populo, amant titulos Mosaicos,

## E P I S T O L A

voluntque sustinere personam Mosis. At utinam ipsius exemplum denuò revocent ad praxin! Sed eheu non multos habet imitatores! Sunt qui tempus matutinum, rebus judicandis, sunt & qui vespertinum, partibus audiendis dicatum, comessando consumunt ac compotando, nequaquam judicando aut auscultando, quod decuisset, Hinc illud, *Cras, Cras* tam frequens etiam inter nos auditur. Lamentabilis certè res est, quòd una sæpè lis per decennium & ultrà trahatur, quò rapacissimi rabulæ omnia pauperum bona exfugendo faturentur. Dilatio ac procrastinatio justitiæ non rarò ipsa justitiæ denegatione, sed matura peior est. *Reges Persarum* certos secum habebant Ministros, quorum erat singulis matutinis Regem ad officium excitare, inclamando: *Surge Rex, & fac officium*, ad quod summus Deus te vocavit. Cùm Macedoniae Rex *Philippus* pauperulam, quæ justitiam deposcebat, ex die in diem rejecisset, sibi que non vacare illam audire respondisset, tandem ab impatiēte diuturnioris moræ muliercula audivit: *Cur ergo Rex es?* Q. d. Regum titulo indignos esse, qui tempus justitiam exercendi non habent. *Theodoricus* Rex Romanorum Judices, qui studio litem cujusdam viduæ perplexam reddiderant, atque sic illam per triennium vexarant, quam tamen intra biduum absolvere licuisset, ad se vocatos, ob petulantem hanc dilationem neci dedit.

O utinam hoc justitiæ specimen omnes Magistratus paulò diligentius considerarent hisce nostris temporibus, in quibus viduarum aliorumque pauperum clamores frequentes sunt, ac aures suorum Judicum non minùs importunè pulsant, quàm vidua *Luc. 18:2-6.*

3. Candida, non callida.

III. *Candida debet esse justitiæ administratio, non callida; ex mero justitiæ amore eam fieri convenit. Ego Jehova amo jus & odi rapinam, Jesa. 61:8.* Sic omnes, qui in nomine Jehovæ justitiam administrare debent, id ex amore justitiæ præstare oporteret. *Ne pervertito judicium, ne accipito personam, neque suscipito munus, quia munus excecat oculos sapientum & pervertit verbum justorum. Justissimam justitiam sectare, צדק צדק תרדף, Justitiam, justitiam sequeris, ut vivas & hereditario jure possideas terram, quam Jehova Deus tuus dat tibi, Dent. 16:19,20.* En! sectanda est justitia, justitia, id est, pura justitia absque ulla injustitiæ tinctura; rivus enim justitiæ debet esse limpidus ac clarus. Item sectanda est justitia, justitia:

id

DEDICATORIA.

id est, justitia & *commutativa* & *distributiva*; omnis justitia diligentissime exactissimeque est observanda; Justitia integrè est exercenda absque fuce & hypocrisi, non ex parte tantum, sed universim; non solum ad tempus, sed in perpetuum; non semel tantum respectu hujus & illius, sed semper ac respectu omnium, qui coram throno justitiæ comparent. Tantum infert geminatio vocis *justitiæ* in textu originali. In eandem sententiam quoque Salomon ait: *Letitia est justo facere jus, contritioni verò operam dantibus iniquitati*, Prov. 21: 15. Justus cum videt Superiores vel Principem justè agere, ac subditos suos in officio continere, gaudet utique & gestit; quòd ex adverso metum & pavorem maximum improbis solet incutere. Justus ex amore justitiæ justitiam exercet, adeòque sincerè & cum gaudio. Justitia enim est virtus in se jucunda, læta & delectabilis, exspectans à Deo præmia ampla secundum ipsius promissionem gratuitam, *Psal. 97: 11. Lux sata est justo, & rectis animo letitia. Jubentur letari in Jehova, & exultare justi & canere omnes recti animo, Psalm. 32: 11. Quia Jehova benefacit bonis & rectis corde, Psalm. 125: 4. Mazarinus comment. in Psal. 51. non inconcinnè ait, quòd Judex iniquus sit ut lapis hæmatites, qui colorem sanguinis refert, sed sanguinem tum demum sistit, cum auro & gemmis obductus est: Idem de Chelidonio Physici referunt. Sic Judices *munerum amasi* justitiam non exercent ex sinceritate & integritate. Qui aurum atque argentum à clientibus exspectant, Judices corrupti sunt, nihil ex amore justitiæ agentes, sed omnia utilitatis decempedà mensurantes; oculi ipsorum muneribus turbati non possunt cernere margaritam, i. e. causæ veritatem & justitiam, quæ in fundo demersa jacet. Væ talibus vel ab Ethnicis Judicibus olim damnandis! Epaminondas enim, utut miser & cæcus Gentilis, tamen hujusmodi tentationes fortiter vicit: *Si causa, inquit, bona est, non opus est muneribus; si mala, non curo munera*. Hic & similes Ethnici, velut Zaleuci, Fabii, Fabritii, &c. die ultimo in summi Judicis conspectu, hujusmodi judices Christiano quidem nomine gaudentes, judicabunt, imò & condemnabunt. Utinam tales probè pensitarent dictum illud *Jobicum*, c. 15: 34. *Congregatio hypocritarum seu impiorum erit solitaria seu desolata, & ignis absument tentoria muneris*, id est, devorabit tabernacula è muneribus constructa, non aliter ac famelicus homo cibum devorat. Septuaginta Interpretes sic reddunt: *πῦρ δὲ καύσει κατ' ὄψας δωροδεκτῶν*, i. e. *ignis flagrabit per domus*  
אהלי  
שחרו  
*capta-**

EPISTOLA

*captatorum munerum*, ceu talium, quorum domus & tentoria sunt domus & tentoria iniquitatis. Quod si plura vel testimonia vel exempla hoc ipsum comprobantia desideretis, inspicite quæso *Amos* 4: 1, 2, 3. *Nab.* 3: 15. *Joël.* 1: 19. *Zach.* 11: 1. *Deut.* 5: 25. 2. *Reg.* 1: 10, 12. Meminerunt historiæ judicis cujusdam Poloni, qui quidem à pauperis cujusdam partibus contra divitem adversarium diu steterat, sed cum subito deseruerat ob grande munus clam à divite acceptum: Cùm aliquando ab amico tam subitæ mutationis causam rogaretur, judex illi magnum nummorum milite armato signatorum cumulum, quem à clientis sui adversario, munere acceperat, ostendit hisce verbis: *Quis resistere possit tot armatis?* At bone Deus! quî possit talis armatura judicem injustum defendere, quum ultimo die ratio erit reddenda coram totius mundi Judice? Illic enim omnes judices, qui nunc sedent judicantes, stabunt judicandi, sed *injusti toto tunc splendore suo immutato & cogitationibus eorum perturbantibus ipsos, tunc cingula lumborum eorum dissolventur, genuaque eorum collident alterum alteri*, sicut Balsazari, *Dan.* 5: 6. Considerent hoc probè *δωροφάγοι* illi infatiabiles, & diram hanc statûs sui *καταστροφήν* diu noctûque animo revolvant. *Est quidem velut gemma gratissima munus in oculis dediti ei, & quocumque spectat prosperatur* (scil. in hac terra) teste Salomone, *Prov.* 17: 8. Quia munus corruptionis in pervertendis judiciis validissimum & gratiosissimum est apud avaros judices, verè est *אֶבֶן חַיִּים*, lapis gratia in oculis patroni ejus; ac proinde nullo negotio perficit, ut judicia corrumpens voto suo ex animi sententia potiatur; secundum illud Salomonis, *Prov.* 17: 23. *Munus è sinu improbus accipit, ad pervertendum itinera juris.* Item juxta illud vulgatum, *Ἀργυρίαις λόγχοισι μάχεσθαι, καὶ πάντα νικῆσαι.* Ardor enim avaritiæ causa est accipiendorum munerum, & acceptio munerum causa est pervertendi judicii. Sed doloso huic melli in tempore salubris absinthii nonnihil admisceant, quod Apostolus nobis monstrat, *2. Cor.* 5: 10. *Omnes enim nos (nemine excepto) manifestos fieri oportet (ut ut nunc doli & fraudes nostræ lateant) coram tribunali Christi, ut unusquisque reportet, quæ in corpore fecerit, congruenter ad id quod fecerit, si ve bonum, si ve malum.* Proinde Hieronymus Platus non contemnendum consilium dedit fratri suo Flaminio Plato Cardinali: *Quum apparent, inquit, coram te muneribus & donis, ut animum deliniant*

## DEDICATORIA.

liniant, eoque, quò non decet, inclinent, constantissimè repudiato & respuito, etiamsi vel aurei montes offerantur.

Romani Lege XII. tabb. judicem munera accipientem, morte mulctabant. Diocletiani lex super hoc fuit, ut sententia, quæ promulgatur à iudice corrupto, ipso jure infirma sit. *Lysias* rogatus, cur respuat munera Messerianorum? Resp. ideò, quia in legem justitiæ peccatur. *Innocentii* sententia, quam coram iudicibus in hunc sensum pronunciavit, probè perpendi meretur: *Vos, inquit, non attenditis merita causarum, sed personarum, non jura, sed munera; non quod ratio dicter, sed quod voluntas affectet; non quod liceat, sed quod lubeat, &c. pauperum causam cum mora negligitis, divitum causam cum instantia promovetis.* Bene *Theodoricus Veronensis, Italia Rex, judicem suum* sic instituit: *Esto innocentia templum, temperantia sacrarium, ara justitiæ; absit à judiciariis mentibus aliquid profanum.* *Sysamnis* iniqui *σωφρονης* exemplum etiam non malè huc quadrat; Is, cum turpis lucri causâ iniquam sententiam tulisset, *Cambyses* Persiæ rex ipsum trucidavit, & cute paternâ filio *Othano* in tribunali patris sedenti ob oculos positâ, eum jussit patris exuvias intuentem rectè judicare, ne simili supplicio afficeretur. O si Magistratus & Principes hodierni talia justitiæ exempla statuerent contra omnes iudices tenaces, avaros & injustos, querelarum minus & minus quoque lacrymarum, his nostris temporibus foret! Pro aculeo infesto in animis talium iniquorum & avarorum iudicum relinquam verba fanè penetrantia, *Deut. 27: 25. Maledictus qui accipit munus ad percutiendum quemquam cæde innocentis; & dicet totus populus Amen!* & illa *Jes. 5: 23. non minus gravia: Væ absolventibus improbum propter munus, & justitiam justorum abjudicantibus ab unoquoque eorum.* Verùm pergamus. Uti administratio justitiæ debet esse sincera, sic etiam

IV. *Deliberata, non præcepta* esse debet. Legis divinæ mandata, *Deut. 17: 4. & c. 19: 17, 18, 19.* edocebunt iudices, quanta cum prudentia & deliberatione hæc justitia administranda sit. *Jobo* præceptum hoc Dei probè observatum fuit, uti videre licet *Job. 29: 16. Litem egentis, quem non cognoveram, ipsam per vestigabam.* h. e. Non obiter, non absque unius alteriusve rei deliberatione, causam consideravi, non præcipitanter egi; sed omnes causæ seu litis pendentis circumstantias examinavi, quò rectum iudicium ferre possem, ne egens haberet, quod conquereretur. *Cognoscit enim justus causam tenuium,*

4. Deliberata, non præcepta.

\*\*\*

impro-

## EPISTOLA

*improbis non animadvertit, ut cognoscat, Prov. 29:7.* ¶ h. l. causam seu litem forensem denotat, quæ in iudicio disceptatur. Iudex justus, ut & justus advocatus, diligenter scrutantur causas forenses pauperum, ut earum iustitiam & æquitatem ex fundamento cognoscant, cognitamque iustè decident & fortiter tueantur: At iudex iniustus, & advocatus iniustus non curant lites pauperum, quia ab eis parum lucri sperant; ideòque haud investigant eorum fundamenta ac rationes, imò affectant eorum ignorantiam, ne cogantur pro iis stare contra divites, & potentes, quorum munera gratiamque ambiunt. Huiusmodi iudices gravissimè à Domino increpantur, *Jesa. 1:23. Principes tui contumaces & socii furum sunt; unusquisque amat munus & se- etatur retributiones; pupillo non dicunt ius, & causa viduæ non pervenit ad eos. Cùm è contrario honor Regum sit rem per vestigare, Prov. 25:2.* Quid enim homini honoratius esse possit, quàm sanctissimis ipsius Supremi Iudicis vestigiis insistere? Atqui ipse Deus Opt. Max. antequam sententiam in Adamum tulisset, prius eum examinavit, idque accuratè per plures quæstiones, uti habetur *Gen. 3:8. seqq.* Sic antequam turris Babylonicæ ædificatores in superficiem totius terræ disperfit, per actum iustitiæ examen cum ipsis instituit. *Gen. 11:5. seqq.* Antequam Sodomam & Gomorrhæ igne cœlitus exureret, dixit: *Clamor Sodomæ & Gomorrhæ cùm multus sit & peccatum istorum cùm grave sit valde, descendam nunc & videbo, an secundum clamorem istius, qui pervenit ad me, omnino faciant, sin autem minus, cognoscam, Gen. 18:20. seqq.* Omnes, qui dii audiunt, meritò in hisce imitatores Magni Dei esse debent, quoniam hoc ipsorum est officium, etiàmque in hoc ipsorum vera gloria consistit in solidum. Quod non solum scivit, sed & fecit Salomon regum sapientissimus, qui priusquam sententiam pronunciaret inter partes litigantes, non minus sapienter quàm patienter attendit & matris genuinæ & meretricis peregrinæ rationes, easque absque præcipitantia examinavit, uti prolixius videre est *1. Reg. 3:16. seqq.* Stultorum est respondere antequam utramque audierint partem, *Prov. 18:13.* Tales sanè confusione & pudore afficientur. *Petrarcha* haud inscitè tales iudices comparat Muscis, qui canere conantur fidibus antequam chordas aptaverint: Quod quàm malè vel peritissimo artificio cedat, nemo non novit. Ideòque *Philippus* Rex Macedonum summa cum laude utramque aurem suam patulam præbuit, unam accusatori, alteram accusato, antequam lin-  
guam

## DEDICATORIA.

guam suam, ad ferendam sententiam, solveret. Prout etiam sapientissimus omnium Creator homini unam tantum linguam, sed binas aures, impertitus est, quò & altera pars audiri queat priusquam enunciatio semel fieret. Hinc Apostolus Jacobus vult, ut quilibet (ergò, & quidem præ aliis, quoque iudex) sit *ταχὺς εἰς τὸ ἀκῆσαι, βραδὺς εἰ τὸ λαλῆσαι.* cap. 1: 19. *Ludovicus XIII.* quum Protestantes coram ipso accusabantur, accusatoribus libello supplici petentibus, ut absque mora & indictâ causâ omnes regno eijceret, qui alterius essent à Rege Religionis, optimè respondit: *Accusatos prius audiam, quàm condemnem. Si mihi vel cum Turca, ipsòque diabolo res esset, nollem tamen condemnare inauditos.*

Vitanda ergò est præcipitancia summo studio, si justitiam ritè administrare libeat; at contrà summa cum deliberatione agendum est, omnia juxta sana principia ac regulas juris fundamentales judicanda, finis & scopus benè spectandus, modus denique servandus in omnibus, auctoritate sic jubente. Gladius quidem tenendus est manu dextera, at statera è sinistra non est abjicienda, quò res prius probè ponderentur, quàm judicium per gladium executio fiat. Sed prout justitiæ administratio non temeraria & præceps: sic eadem

V. *Timida & segnis* esse non debet, sed *intrepida ac magnanima*, sine ulla consternatione animi, vel hæsitantia. Celeusma, quo Deus Josuam, magni Prophetæ Mosis successorem (qui & ipse Prophetæ vocatur *Hos.* 12: 14.) erexit, non frustrà tertium repetitur, *Jos.* 1: 5, 6, 7, 8, 9. *Quemadmodum fui cum Mose, sic ero tecum, non deseram te, neque derelinquam te: Confirmare & fortis esto.* Et mox iterum: *Tantummodo confirmare & fortis esto valde.* Et tertium, *vers. 9. Confirmare & fortis esto, ne pavescito, neque consternator, quia tecum est Jehova Deus tuus, quocunque i veris.* Josua vicerat strenuus & fortis, vir virtutis seu roboris (tales debent esse Principes ex consilio Jethronis, quod Mosis genero suo dedit, *Exod* 18: 21. **אֲנִשִּׁי חַיִל.**) Et juxta Davidis de filio suo Salomone faustissimum omen, 1. *Reg.* 2: 2. *Tu confirmaberis & vir futurus es.* Non debent esse pueri & molles animo, velut Rehabeam, 2. *Chron.* 13: 7.) tamen ob difficultates, quæ Principibus obversantur, non semel tantum in verbis citatis excitatur. Ipsum hoc celeusma quoque *Hagg.* 2: 4. reperitur, quod fusiùs explicatum dedimus Concione 171. in hunc Prophetam, quem Ecclesiæ nobis commissæ diebus Dominicis pro suggestu

EPISTOLA

tu expono; (quod opus, si Deus illud dederit perficere, præsens hoc suo tempore sequetur, si quidem hoc benignè exceptum à bonis fuerit & aliquid sperati fructus in orbe dederit.) Judex si non sit strenuus & magnanimus, sed mollis & timidus, mox etiam perfidus erit; at qui fortis & vir virtutis, ille etiam constans est & fidelis. *Thronus Salomonis* circumcirca leonibus obsessus erat, ut innueretur, Reges ac Principes fortes atque animosos instar leonum esse oportere.

*Judices Atheniensium* in Areopago, seu Martis vico, jus solebant dicere, ut hocce corda sua Martialia & intrepida significarent. *Jobus* talis judex erat, qui justitiam debito modo, i. e. magnanimo pectore, administrabat, uti legitur *Job. 31:31. seqq.* Nemo ipsum potuit deterrere vel allicere, animum habuit in omnibus rebus invictum, qui se à tramite justitiæ neque ad dextram neque ad sinistram ulla ratione deflecti, aut ullis blandimentis à recto æquitatis cursu avocari passus est. *Græci* imaginem justitiæ leonem inter & libram posuerunt, sic docentes; Rem probè esse ponderandam prius, post illam absque omni consternatione aut tergiversatione executioni mandandam. Non sufficit animus obfirmatus absque judicio; sic enim justitia cæca & rigida nimis foret; Neque cognitio sola absque animo forti & constanti sufficit, quia justitia sic foret clauda & nimis frigida. *Agésilæus* regia dignitate à Lacedæmonis ultrò fuisset ornatus, nisi mali ominis claudicatio ipsi obstitisset: Populus enim, Regem minimè claudicare oportere, censuit. Idem quoque de Magistratibus ac Judicibus quibusvis est judicandum, eos enim *cor leoninum, oculos aquilinos & brachia gigantea* habere convenit. Notum satis est, quid de *Aristide, Fabritio & Catone*, antiquitas olim differuerit, quod scilicet facilius quis solem è Firmamenti orbe amovere possit, quam ipsos, ut à tramite justitiæ vel latum unguem discedant, permovere. Videtis igitur prudentem animi constantiam in recta justitiæ administratione summè necessariam esse. Sed præterea debet quoque esse

6. Stricta & accurata.

VI. *Stricta* atque *exacta*, imò exactissima, juxta præscriptum divinum, *Exod. 23: 6, 7, 13.* piàmque pii Regis Josaphati ad judices admonitionem, 2. *Chron. 19: 5, 6, 7.* *Constituit judices in ea regione per omnes Jehudæ civitates munitas, cuique civitati: edicens judicibus; Videte, quid sitis facturi, non enim pro homine judicaturi estis, sed pro Jehova, qui vobiscum futurus est in rebus judiciariis: Quare nunc in-*  
sit

DEDICATORIA.

*sit pavor Jehovæ vobis: observate & facite, non enim est apud Jehovam Deum nostrum iniquitas aut acceptio personarum, aut sumtio muneris.* Deus sanè in omnibus viis suis, in omnibus operibus, tam in promissionibus, quàm comminationibus suis, in retributione cùm præmiorum, tum poenarum, in exercenda & misericordia & justitia sua, valde exactè agit. Vos qui dii auditis mortales in hac terra, in hisce ipsius immortalis Dei in cœlo imitatores strenui estote. Deus Opt. Max. sanè habet *ἐκδικον ὄμμα*, *oculum vindicem*, & omnia penetrantem; novit enim profunditates humanorum cordium. Quod probè tenendum, quando diaboli, id est, tentatores accedunt, à recto justitiæ tramite avocare studentes, sive vi & violentiâ id fiat; sive fraude ac astutiâ; sive promissionibus blandis, sive diris comminationibus, aliâve ratione iudicium corrumpere conentur, ut fortiter talibus Sathanæ tentationibus periculosissimis resistatis. Nihil adèò occultum, quod non cernat ille, qui omnia cernit; neque ulla res creata non manifesta est in conspectu ipsius. *πάντα δὲ γυμνά καὶ τετραχλισμῶν τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, ἀπὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος.* Ecce omnia sunt patentia, aperta, nuda, resupinata & quasi per anatomiam dissecta oculis ejus. *Heb. 4: 13.* Juxta quæ benè Boëthius: *Uno mentis cernit in ictu, Quæ sint, quæ fuerint, veniant que.* Inspectio hæc oculorum Dei postulat, ut omnia *ἀκριβῶς*, exquisitè, consideratè ac religiosè agamus, quæ in justitiæ administratione agenda suscipimus.

*Judices Æthiopia*, quoties judicaturam exercuere, fellas vacuas pro geniis seu diis suis tutelaribus circumcirca posuerunt, quia eos, tanquam invisibiles suarum actionum inspectores, præsentem esse credebant.

*Cave, spectat Cato*; excitabulum erat Romanorum. Multò magis illud nobis Christianis valeat: *Cave, spectat Deus; Spectat Judex iudicium Christus; Spectant Angeli.* Nec minùs hoc quoque spectandum, quòd diem jam constituerit Deus, quo justè iudicaturus est orbem terrarum, quò etiam rationem strictissimam postulabit ab unoquoque. Ille ipse, qui *Judices terræ, Psal. 82: 6.* vocat *Deos & filios Excelsi*; ipsosmet eos quoque his verbis alloquitur, *v. 7. At certe ut plebejus homo morituri estis, etiam sicut unus aliorum Principum casuri estis.* Q. d. Dii quidem estis etiam meo ipsius elogio, sed tamen mortales, qui post mortem iudicium experturi estis, ex communi lege omnibus hominibus posita, *Heb. 9: 27.* & quidem iudicium justissimum; Quia *Judex ille à Deo definitus*, est *Judex Omniscius*,

EPISTOLA

quem nihil prorsus latet; est Judex *aquus*, qui non potest flecti vel corrumpi; est Judex *Omnipotens & fortis*, qui neminem metuit; est *sanctus*, imò ipsa sanctitas, cui nihil turpe vel curvum probatur; est denique Judex *serius & severus*, qui tanquam ignis consumens (uti vocatur *Heb. 12: ult.*) omnem iniquitatem abolebit.

Deus quidem in V. T. aliquando ut ignis non consumens apparuit, uti *Exod. 3: 2.* in rubo, & *Exod. 13: 21.* in columna ignis; sed talem se præbuit suis Amicis, Mosi & populo suo electo Israël. At inimicis, qui injustitiâ & sceleratâ vitâ suâ iram ejus accenderunt, se verè *consumentem ignem* demonstrat. Talem eum describit Moses, *Deut. 4: 24.* & *cap. 9: 3.* In hunc quoque sensum dicitur, *Jesa. 30: 33.* quòd *ignis flatu Jehovæ accendatur*: quòd *ex ore ipsius exeat ignis consumens*, *Psal. 18: 9.* quòd *exeat ignis è conspectu Jehovæ*, *Lev. 10: 2.* quòd *ignis ante eum procedat & inflammet*, *Pf. 50: 3.* circumquaque hostes ejus; in quorum quidem hostium numero in Scripturis s. censentur

*Idololatræ*, *Deut. 32: 21, 22.* *Profanatores ordinationum Dei*, *Lev. 10: 2.* *Num. 16: 35.* *Murmuratores adversus Deum*, ejusque providentiam, *Num. 11: 1. cap. 21: 6.* *Abominabiles Scortatores*, *Gen. 19: 24.* *Osores Dei*, *Psal. 21: 9, 10.* *Apostatæ*, *Heb. 10: 27.* *Interfectores Prophetarum Dei*, *2. Reg. 1: 10. 12.* *Dan. 3: 22.* *Seductores*, *Apoc. 19: 20.* *Antichristi & antichristiani.* *Apoc. 14: 9. 10.* Omnes denique reprobi & *impænitentes*, *Apoc. 20: 15.* Ubi, si singula inspiciantur loca, apparebit in singulis *ignis consumentis* fieri mentionem. Nî igitur cum terrore coram Judice Christo, igne consumente, comparere velimus, justitia erit administranda contra omnes hujusmodi transgressores; & quidem exactè ac pro conscientia, tanquam contra infensissimos Dei & Christi hostes.

VII. In administratione justitiæ quoque est observanda aurea illa & planè divina *Regula Christi*, *Matth. 7: 12.* *Quæcunque volueritis ut vobis faciant homines, eadem vos facite illis.* Putà in rebus æquis & justis, de his enim solis intelligenda est Lex Christi, ut quæ comprehendit Legem & Prophetas, & quæ summa est omnis justitiæ, totiúsque æquitatis primum & imum fundamentum. Sic ergò exercenda est erga alios justitia, ut nostri non obliviscamur: qualémque justitiæ administrationem nos ipsi expetimus, si coram throno judicis comparemus, talem nos aliis denegare non oportet; juxta illud Imperat. Alexandri Severi: *Quod tibi nolis fieri, alteri ne feceris.* Atque

7. Ad catholicam illam Christi regulam, Matth. 7: 12. aptata.

D E D I C A T O R I A.

que dictum hoc, ejusdem cum dicto Christi superiori sensus, toties in ore habuit, quoties illatas injurias vindicavit; Imò præcones suos habuit, quorum fuerat illa verba publicè in castris proclamare. Hic idem Imperator etiam descriptum habebat, quid cuique præstitisset: qui nihil aut minimum petiissent, eos compellabat dicens: *Quid est cur nihil petis? An me vis tibi fieri debitorem? Pete, ne privatus de me queraris.* Agnoscebat, Principem rectè suo officio fungentibus debitorem fieri, nec æquum judicabat, ut officio suo probè defunctus, privatus egeret. O utinam eadem mens esset omnibus illis, qui in publicis muneribus versantur, quique aliis præsumunt; imprimis autem iis, qui Magistratus officium in populo gerunt! O utinam vexillum hoc æquitatis omnibus in locis territorii nostri conspiciere daretur, tum sanè tutiora forent omnia, quæ nomen, statum, bona, vitam, libertatè inque cùm nostram tum aliorum concernunt: non tot essent miseri, egentes, gementes, clamantes, & hinc inde non privatim solum, sed & in foro ac publicè conquerentes; non tot essent extorres, & quidem maximo cum conscientia, Religionis, animarumque suarum periculo. At omnia devorans illa φιλαυτίας bestia omnia perdit in statu politico: videatur, *Jer. 45: 5.* in ecclesiastico, vid. *Matth. 26: 15.* *Phil. 2: 21.* ac denique œconomico, *Act. 19: 25.* Prout deformes specie & tenues vaccæ, quas Pharao per quietem viderat *Gen. 41: 4.* devorârunt vaccas pulchras specie ac pingues: Sic inordinato sui ipsius amore dediti, verè sunt bestia omnia circum se devorantes. Nautæ *Jon. 1: 15.* Jonam, procellarum & æstus marini causam, in mare projecerant, & sic ab æstu suo mare destitit. O utinam & nos φιλαυτίαν, seu inordinatum nostri ipsorum amorem, qui omnes tres status turbat ac procellosos reddit, sic è medio tollere atque in altum mare abjicere possemus, utique tranquilliora & æquiora forent omnia. Sanè, prout abnegatio sui ipsius est fundamentum omnium virtutum Christianarum; Sic vitiosus ille & inordinatus sui ipsius amor est radix omnium vitiorum. Hinc D. Paulus in sua de novissimis temporibus prophetia, hoc vitium omnibus aliis præponit, *2. Tim. 3: 1, 2.* Τὸ πο δὲ γίνωσκε, ὅτι ἐν ἐσχάταις ἡμέραις ἐνστήσονται κατὰ χαλεποί. h. e. tempora periculosa, molestà, dura ac difficilia. Ἔσονται γὰρ ἄνθρωποι φίλαυτοι, id est, homines, qui se ita amabunt, ut reliquos omnes præ se contempnant, qui in omnibus propriam laudem quærent, sibi ipsis unicè placentes, quique suis commodis impensè studebunt, aliorum rebus vel neglectis, vel  

etiã

E P I S T O L A

etiam afflictis. Quis nostris hisce diebus prophetiæ hujus impletionem non videat? In hæc quippe tempora incidimus, quæ in omnibus statibus vix alios homines nutriunt, quàm sui amantes. Hinc est obliteratio legis Christi suprâ citatæ, hinc quoque tanta eluvies omne genus scelerum atque flagitiorum universum terrarum orbem inundavit. Observanda igitur est (ut monui) Magistratibus catholica illa Christi Regula: *Quæcunque vultis, ut vobis faciant homines, ea & vos facite illis.*

Imò Regula hæc aliquatenus ad Deum ipsum extendi potest: *Quæcunque* (hoc in casu) vos Principes ac Magistratus, *vultis, ut Deus faciat vobis, idem & vos illi facite.* Omnes vultis, ut Deus potestatem auctoritatémque vestram conservet illibatam, fartam & tectam apud populum: ergo & vestrum erit Dei gloriam servare illibatam, id quod fit debitâ justitiæ administratione. Et fanè Deus quàm severissimè & exactissimè cavit, ne Magistratum aliorumque cujusvis Ordinis Præpositorum auctoritas violaretur. *Exod. 22: 28. Magistratus ne execrator, & Principi in populo tuo ne maledicito.* Vel (ut textus orig. habet) *Diis ne maledicito*, id est, Judicibus seu Magistratibus, Dei Vicariis in terris, in quibus (notante *Theodoreto*) Dei Majestas elucet, quique vicem & nomen ipsius gerunt; penes quos est gubernatio civilis vel Ecclesiastica. De posteriore loquitur Apostolus, *Act. 23: 5. Nesciebam, fratres, Pontificem esse maximum: Scriptum est enim, Principi populi tui non maledices.* \* (De quorum verborum sensu quàm variant Interpretum sententiæ, hîc nihil attinet dicere. In transitu tamen notandum, Præfulum, Magistratumve injustitiam atque iniquitatem sæpe facere, ut minimè ab aliis tales agnoscantur ac discernantur, non cum exiguo suo ipsorum dedecore; adeò ut vel hac consideratione permoveri deberent ad justè agendum, ne ipsi sibi ignominiam ac contemptum accersant.)

Sed, ut ad rem redeamus, ex allegata Dei lege duo liquidò constant:

1. Deum velle, ut Magistratus existant: qui si non essent, maxima confusio cùm in Remp. tum in Ecclesiam invehetur. Conf. *Rom. 13: 1.* Dicuntur quidem 1. *Pet. 2: 13.* ἀνδρωπῶνιν κλιτικῆ, hu-

*mana*

\* Vide (si lubet) de h. l. fufius differentem Excellent. deque Ecclesia ac literaria Rep. optimè meritum, D. Thomam Gatakerum Londinensem, insignem olim Evergeten meum, in Cinno suo seu Adversariis miscell. lib. 1. cap. 6. p. 73. seqq. Itemque Clariss. Rivetum Itag. ad S. S. cap. 21. Aretium, Theologum nostratem eximium, in h. l. Willetum Anglum in Exod. 22: 28. Cornelium à Lapide Jevitiam, qui multa in h. l. contrasit.

## DEDICATORIA.

*mana ordinatio*; verùm id non *causaliter* seu respectu institutionis, sed *materialiter* tantùm, ratione sc. *subjecti & objecti*, *finis* item ac *diversarum formarum* gubernationis.

2. Deum velle, ut debitus honos & obedientia Magistratibus deferatur, idque in Domino. *V. Rom. 13:2*. Sunt quippe *ἐκ Διὸς Βασιλῆες*. *V. Exod. 16:7, 8. 1. Sam. 8:7. Jos. 4:14. 2. Pet. 2:10.*

Quodsi ergo Æterno in cœlis Numini & supremo totius universi Domino tam curæ fuit, ut suorum in terris ministrorum & vicariorum auctoritatem & honorem quàm studiosissimè & verbis & factis assereret atque ab omni violatione & contemptu inferiorum vindicaret: Quid creditis Vobis, ejus tantùm Ministris atque vicariis, ex suprâ citatâ Christi regulâ, incumbere? Annon justissima hæc cura atque sollicitudo animos vestros dies noctesque unicè meritissimo jure tenet, quâ Regis Regum & Supremi vestri Domini ac Principalis gloriam & honorem omnibus viribus ac modis in ditionibus vestris vindicetis, promoveatis? Qua ratione autem id hodie fiat, quotidianam solùm horum temporum experientiam testor. Non quidem impunitos relinquimus eos, qui Majestates lædunt, quique dominatus contemnunt: At, proh dolor! quoties filemus, cum Ipsum mundi totius Creatorem & Governatorem publicè ac protervè blasphemari audimus? Sic minimè vos latet, Principes terrenos, ignominiam, quâ sui Legati afficiuntur, suam ducere, ac pro sua quoque egraviter punire: exemplo sit David, qui Hammonitas similem ob causam bello cruentissimo petiit, *2. Sam. 10:6, 7*. At quoties Deus suos ad nos Legatos mittit annunciatum nobis sanctissimam suam voluntatem, quos nos non solùm non auscultamus, sed insuper fannis excipimus, & omne genus injuriâ ac contumeliâ affectos repellimus. Annon credimus protervâ hac contumaciâ *estum iræ Dei aliquando accensum iri adeò, ut nulla amplius futura sit curatio*, ut olim Judæis hanc ipsam ob rem contigit *2. Chron. 36:16*. Rebelles quidem, malefici, fures, prædatores & homicidæ communiter capite plectuntur; ast illi, qui sacrilegia committunt, Sabbathâ Dei profanant, Deum ipsum contumeliâ afficiunt, omnesque divinas ordinationes proculcant, sæpè ne censurâ quidem notantur. An Deo sic facimus, sicut nobis fieri volumus? qui adeò frigemus in defensione Ipsius cultûs & Sabbathi, eorùmque omnium, quæ ad Ipsius Nominis gloriam pertinent? Utinam meliùs à nobis perpende-

★★★★

rentur

EPISTOLA

rentur verba Dei, quæ 1. *Sam.* 2:30. leguntur: *Honorantes me honorabo, contemtores autem mei, leves fient.*

8. Mansuetudo ac clemens.

VIII. Denique in administratione justitiæ etiam habenda est ratio *mansuetudinis, misericordiæ ac clementiæ*. Divinum hoc par virtutum copulatum reperimus apud Prophetam *Zeph.* 2:3. *Quærite justitiam, quærite mansuetudinem.* Gladius justitiæ priusquam stringatur, oleo misericordiæ seu clementiæ tingendus est. Deus mansuetudinem non minùs à Præfectis postulat, quàm justitiam. Utraque virtus summè necessaria est; quoniam, ut justitia sine mansuetudine in crudelitatem facilè degenerat, sic contrà mansuetudo absque debito justitiæ exercitio vulgò in contemptum venit. Junctura autem harum gratiarum harmonica in gubernatione, uti necessaria est, sic quoque valdè est utilis; illa quippe consolidat thronum Regis & sustentat populum, ut videre est *Prov.* 20:28. *cap.* 29:14. *Pf.* 101:1. Verùm de his superiùs jam actum est. Regibus & Principibus singulari ornamento est justitia misericors, & mansuetudo seu clementia justa. In *arca fœderis* (seu propè eam) erat & *virga Aaronis* & *urna aurea, in qua Manna*: Sic in sinu Regis, Principis ac Magistratùs optimè conservatur virga justitiæ cum Manna misericordiæ. Christus, qui justus judex est, semel quidem in Apocalypsi, *cap.* 5:5. *Leo ex tribu Juda vocatur*: At *agni* nomen ipsi minimùm 29. locis diversis attribuitur, ut eo, quàm pronus ad mansuetudinis exercitium sit, significetur. Omnino sic leoni esse in exercitio justitiæ judici convenit, sed & simul agno in exercitio misericordiæ & mansuetudinis. Divortium horum gemellorum supra modum cùm Ecclesiætum Reipub. noxium est.

Atque sic paulò fusiùs explicavi, qualis debeat esse justitiæ administratio, siquidem exaltare Nationem debeat. Profectò felici loco est populus, ubi justitia hoc modo administratur; *Ubi jus fluit instar aquæ, & justitia ut torrens validus*, prout loquitur *Amos cap.* 5:24. ubi singularem in voce **יָד** emphasin observare licet, **יָד** enim propriè significat ritè devolvere & cum vigore, modo concinno, libero, plano, constanti & indefesso volvere. Jus si in quapiam terra, populo, aut ditione sic ritè volvitur; Si Primores populi jus publicum sanctè administrant, leges sacras præstant factas ac incolumes, & sine ullo personarum respectu fontes puniunt, innocentes verò & justos tuentur atque fovent: Si justitia sic validè & cum vigo-

## DEDICATORIA.

vigore, modo tamen concinno, libero, plano, constanti & indefesso, fluvii seu torrentis instar fluit, si nullius personam respicit, si æquè se ad pauperum casas ac divitum palatia devolvit, magnosque æquè contingit ac parvos; tunc sanè nationem reddit celeberrimam beatissimamque, & talem qualem (quamdiu talis permanet) nec ipse mundus, omnium malorum cloaca, turbare, nec Diabolus (deus stercoreus & κατ' ἐξοχὴν *malignus*) inquinare aut ullo modo miserabilem reddere possit.

At jam è contrario, ubi injustitia aliàque vitia ac flagitia grafsantur, ibi populus & probris & pleno excidio atque interitui exponitur: Sic enim porrò Salomon, *Prov. 14:34. Probrum nationum est peccatum.* והסדר לאמים הטאת. Peccatum & speciatim injustitia, probrum atque exitium affert populo. Lemma hoc priori est adversum,

licèt alterum alterius sit consequens indubitatum. Ut enim justitia gentem in excelsum effert, ac summâ ignominiâ depressam supremo loco collocat atque coronat: (justitia enim parit exaltationem, exaltatio felicitatem) Ita injustitia, iniquitas & peccatum gentem amplam ac numerosam probro ac ignominia vel eò usque exponit, ut etiam in proverbium abeant & à prætereuntibus sibilo excipiantur, inque exemplum divinæ ultionis statuuntur, *Deut. 28:37-44. Jer. 25:9. Ezech. 5:15.*

Plurima in S. Codice prostant exempla veritatis in utroque membro verborum Salomonis contentæ, imprimis in lib. Regum & Chronicorum. Quamdiu Reges & judices erant justitiæ amatores, juris & æquitatis cultores atque patroni tenaces, tamdiu florere, ut videre licet in Davidis, Salomonis, Hiskia, Josia & aliorum historiis. Contrà verò, ubi iniquitas, injustitia, nequitia atque improbitas sceptrum tenebant, omne genus mala inundabant, omnia putida & sordida reddita erant. Qui de hoc minimùm ambigit, evolvat historiam insignem de tribu Benjamin, ob vitiatam Levitæ uxorem internecone penè deletam, *Judic. 19:20.* Examine regnum Saulis, Achabi, aliorumque Regum impiorum, velut Antiochi, Galerii, &c. Perpendat etiam luctuosum regni Israëlitici excidium.

Plerorumque mortalium animos fœdus hic error occupat, ut putent nationis opprobrium esse paupertatem, utque populi ignominiam quærant in externis tantum accidentibus, velut defectu munitioum, penuria, terræ sterilitate, inclementia cœli, paucitate incolarum, multitudine & potentia hostium, & similibus. E contra-

EPISTOLA

rio nullum ad honores aditum esse mancipia mundana judicant, nisi mentiendo, simulando, dissimulando, adulando, calumniando, decipiendo, &c. Hinc omnis generis fraudes & dolos, juxta Achitophelis seu Machiavelli Maximas, excogitant, Jeroboami & Jehu imitatores, quæ gladio Goliathico occupare non possunt, ea stabello saltem vulpino sibi subicere conantur vel acquirere, sicque ipsum Diabolum suorum munerum, dignitatum & honorum diribitorem constituunt, qui cum horum vitiorum auctor sit, eorundem quoque remuneratorem eum esse necesse est.

Aliter longè sapientum Regum Vertex: *Justitia exaltat nationem, at probro est nationibus peccatum, seu miserum facit populum peccatum*, id est, ubi omne genus nequitiae, rapinae, tyrannides, doli, injustitiae & impietates dominantur, illic certissima sunt populi seu nationis ruina & perniciēs.

In textu originali, ut vidistis, duæ sunt voces, quæ differentes significationes habent, quæque hujus proverbii interpretationem difficilem reddunt. Prima earum est **חֶסֶד**, quæ plerumque significat *benignitatem, beneficentiam, beneficium, misericordiam*, ut videre est *Deuter. 5: 10. (16.) Psalm. 106: 1. 45. Gen. 32: 10. 2. Chron. 6: 42.* Altera harum vocum est **חַטָּאת**, quæ aliquando, & quidem satis frequenter, etiam denotat *sacrificium pro peccato, hostiam pro peccato*, *Esræ 6: 17. Mich. 1: 5. Ezech. 45: 23.* **חַטָּאת** enim in Pihel etiam significat *mundare, purgare, à peccato expiare*. *Conf. Lev. 14: 52. cap. 6: 26. (25.) Gen. 31: 39. Lev. 9: 15.* Secundum interpretationem hanc utriusque vocis **חֶסֶד** & **חַטָּאת** nonnulli verba Salomonis sic exponunt: *Justitia exaltat nationem, & misericordia populorum est velut sacrificium pro peccato.* Juxta illud *Dan. 4: 27.* Sic Vatablus: *Beneficentia populis est expiatorium sacrificium.* Huic interpretationi favent loca nonnulla, ut *Proverb. 16: 6.* **וְאֵמֶת יְכַפֵּר עוֹן בְּחֶסֶד**. *Benignitate & veritate expiatur iniquitas.* Ubi vox **חֶסֶד** occurrit.

Bellarm. ut hîc ἐν πνεύματι moneam, lib. 4. de pœnit. cap. 8. hunc locum ad satisfactiones operum meritorias, suo more, torquet. Longè melius nostri, qui hîc benignitatem & veritatem promissionum Dei intelligunt: Deus enim ex summa charitate & benignitate sua promittit remissionem peccatorum pœnitentibus, ac pro veritate sua

## DEDICATORIA:

sua etiam præstat, quod promisit, quia Christus suo sanguine ipsius justitiæ planè satisfecit, 1. *Joh.* 2:2. Vid. & *Prov.* 28:13.

Hoc non obstante, nos cum Junio, interpretum fidissimo, priorem expositionem retinemus, & posteriori huic præferimus. **חסר** Sic חסר in Conjug. Pihel probro affectit. Prov. 25:10 enim ex Chaldaicæ linguæ usu etiam *probrum* significat, & **חסר פרה** poni solet, velut *Lev.* 20:17. **חסר הויה** haud aliter, hoc rerum nexu postulante, reddi possunt, quàm *opprobrium* seu *probrum ei*. Sicut igitur justitia exaltatrix nationum est, sic injustitia & iniquitas est earum denudatrix; nationes probro ac ignominia exponit, tandemque, ut supra visum, penitus extirpat ac funditus evertit.

Vox quidem **טאת** generalis est, quævis peccata, impietatem, flagitia, luxuriam, &c. comprehendens: quæ sanè omnia hinc intelligi debent, cum omnia populum in contemptum adducant inque omnis generis ærumnas ac calamitates præcipitent; Sed tamen speciatim ac singulari modo intelligitur peccatum *injustitiæ* (sic enim antithesis prioris membri postulat.) Injustitia quippe singulariter in contemptum adducit, vastatque ac evertit populum; seu intelligamus injustitiam ipsius populi, seu injustitiam Principum ac Magistratum. V. 2. Chron. 36: 16, 17. Amos 1: 3. seqq. & 6. 3. seqq.

De *injustitia populi* videre licet *Amos* 6:3. *Jesa.* 1:10, 15. & 5:8. 1. *seqq.* aliisque quamplurimis locis. Sanè populo sua ipsius injustitia non potest non esse maximo probro ac damno: si scilicet vicinus cum vicino dolose agit; si rigide nimis, & spectabili cum proximi damno: si venditor corrupta pro probis offert, si pondera & mensuræ falsantur; si monopolia clam foventur; si præcia rerum citra necessitatem augentur; si omnis generis extorsiones, oppressionesque exercentur; si denique usurarii, danistæ (ferè damnistas dixissem) & fœneratores ex professo extolluntur, qui tamen & publici & privati status clandestini perditores, omnisque charitatis (cum communis tum fraternæ) exterminatores totales existunt; quia sunt captatorii insidiatores, nullam planè vel charitatis vel æquitatis rationem erga quemquam mortalium habentes.

De *injustitia Magistratum* verò *Jes.* 1:23, 24. sic *Prov.* 29:4. *Rex justus erigit terram, avarus autem destruit eam.* Vel, ut Juius reddidit: *Rex judicio stabilit regionem, vir autem oblati muneribus serviens destruit eam;* Rex in judicio stare facit terram, at qui avarus est & munera

EPISTOLA

munera seu oblationes amat, diruit eam ac dissipat, propterea, quoniam, qui avarus est, etiam iniquus erit & tributa à subditis extorquebit. Textus in origine habet **אִישׁ הַרְוֹמוֹת**, *Vir elevationum*, id est, superbus seu elatus Rex, qui pro libitu & fastu iudicat & regnat, leges & æquitatem violat, nec Ecclesiam nec Remp. curat, scelera dimittit impunita, permittit quæque mala, bonos opprimit, fontes absolvit, infontes injustè condemnat, officia non dignis, sed indignis confert, populum expilat. Annon, qui talia patrant vel permittunt Reges & Præsides, populum destruunt, Rémque publ. desolatam reddunt? Annon, huiusmodi Principes ac Magistratus subditos gravant, miseros reddunt, ac ut mancipia durè & indignè tractant, oneribus premunt, omni denique re sua exhauriunt; ut se ipsos ditent atque exaltent? Hinc non sine causa gemit populus, quando tales nanciscitur Dominos, & alium Clementiorem anhelat. Et quidnà fanè? sunt enim sub leone rugiente ac urso discursante seu esuriente; ut Salomon habet *Prov. 28: 15. Ut leo rugiens ac ursus esuriens (seu discursans) est princeps impius in populum pauperem (seu tenuem), qui excurrit ad diripiendum ac devorandum quicquid occurrit, ut inexplabilem famem ac sitim suam restinguat. Jesa. 44: ult. cap. 63: 11. Jer. 6:3. cap. 12:10. cap. 49: 19. cap. 51: 23. Mich. 5: 5. Nah. 3: 18. Zach. 11: 3, 4, 5.* Prout pii Reges ac Principes pastores ovium in Scriptura S. & alibi cluent; sic tyranni & impii Præsides sunt instar leonum, qui rugitibus suis cætera animalia percellunt, more ferino ea post invadunt & crudeliter devorant. Sed non crudeles tantum sunt ut *leones*, verum etiam astuti ac vafri instar *ursorum* insidiantium. Ursus enim plena fraudis fera est. Sic *omnes illi, qui in precio sunt*, quique aliis præfunt, sed *absque intelligentia, ii sunt instar jumentorum, quæ intereunt*, *Psal. 49: ult.*

Summâ, ubicunque nullus Dei timor plantatus est, qui cæteras Regnantium qualitates gubernet, omnes degenerant atque in pejus vergunt. Si sapientiam quæras, invenies versutiam, & astutiam; si fortitudinem, reperies violentiam, secundum illud tritum: *Quò quis valentior, eò violentior*; si diligentiam & fervorem desideres, offendes negligentiam & torporem in omnibus; si quæras prudentiam, reperies stultitiam; si requiras in ipsis iram justam, reperies privatam vindictam; si devotionem, reperies superstitionem; si humanitatem, invenies crudelitatem; si auctoritatem & gravitatem, reperies superbiam &

## DEDICATORIA.

& levitatem; si rectum pro Deo zelum, flagrantemque religionis ardorem, reperies vel zelum præposterum seu furorem, qui rem consumit, vel teporem languentem: sicque apud tales locum habet illud Lactantii lib. de Ira cap. 8. *Sine vera religione (nos addimus, & sine justitiæ administratione) vita hominum stultitia, scelere & immanitate completur.* Religio enim vinculum sive coagulum omnis societatis est, & justitiæ firmamentum unicum. Ubi illa negligitur, omnibus *quod libet, licet; quod licet, possunt; quod possunt, audent; quod audent, faciunt:* Mœchorum, homicidarum, incestuosorum, blasphemantium, ac omne genus facinorosorum numerus in dies augetur. Ast ubi verus Dei timor animis Regentium penitus inhæret, ibi omnes eorum qualitates generosæ existunt. Vera Religio justitiæ studio excolitur, utraque autem conjuncta Remp. firmissimè sustinet & simul illustrem reddit. Hujusmodi Proceres in omnibus eò tendunt, ut & in asserenda propagandâque vera Religione zelum ac fervorem, & in administranda justitia debitum ardorem, exhibeant.

Sed tempus me monet, ut tandem aliquando alloquendi finem faciam. Prius autem quàm Vos (ô Patriæ Patres Optimi ac Prudentissimi, Proceres Amplissimi ac Clementissimi; vos, qui non Civilem tantum, sed & Ecclesiasticam Remp. ex officio curatis, atque in deliciis hæctenus habuistis & habetis; qui utriusque hostes, cùm extraneos tum domesticos, fortiter repressistis; utque justitia, pietas, fides, veritas, modestia, pacis studium, in vestra ditione floreat, gnæviter curastis) prius (inquam) quàm Vos compellare desinam, Unum insuper verbum, ut addam, mihi (oro) permittite.

Deus Ter Opt. Max. Vos cœlitus ingenti omnis generis benedictionum cumulo clementissimè hæctenus locupletavit, atque per Vos etiam nos omnes, quibus sub umbra alarum Vestrarum adhuc quietam tranquillamque vitam traducere licet in statu Oeconomico, Politico & Ecclesiastico, sic, ut salus nostra cum Vestra maneat conjunctissima. Benedictione divina per Vos fruimur pace Patriæ publica, libertate conscientiæ & Religionis intemeratæ; quæ res est inæstimabilis, (ut bene Imperator Justinus) fructus ejus sunt suavissimi, dulcissimi. Libet aliquos gustare? Cultum Dei purum habemus in Ecclesiis nostris; Scripturam S. legendi ac scrutandi libertas cuique datur, imò lectio ejus assidua nobis omni ratione, indies in-

cul-

Magistra-  
tius Ber-  
nensis lau-  
datio.

E P I S T O L A

culcatur; habemus sanctissima Dei Oracula & in linguis Originalibus, & per fidam interpretationem in Vernacula; in qua etiam ad ædificationem Corporis Christi mystici publicè ac frequenter annunciantur: Sacramenta Novi Fœderis purè secundum Christi institutionem, absque ridiculis adversariorum assumentis, administrantur; Juventus in fundamentis Religionis probè instituitur; Ministerium fovetur; orthodoxia urgetur; pauperum quoque ratio habetur; sunt denique, qui disciplinam Ecclesiasticam humi jacentem & quasi intermortuam postliminio cupiunt restitutam; quique sanctum donorum, bonorum, atque temporum usum strenuè ac pro viribus asserunt. Sanè his libertatis Christianæ fructibus suavissimis, Vestro sub Regimine & dispensatione, frui hactenus sine impedimento licuit, id quod meritò magnum, imò maximum beneficium habetur, semperque gratà mente jure recolitur. Sunt & alia gratiæ talenta, quibuscum, Vestra sub auctoritate atque tutela, nullo obstante, negotiari permissum est, quæ quidem aliqui in fundo cordis mundani, vel in sudario cordis immundi, vel denique sub modio & tecto cordis maligni atque lascivi, recondunt; verùm tales absque censura & increpatione non dimittuntur. Quotidie Dei vox in Ecclesiis personat; boni eriguntur, mali corriguntur, ignorantes instituuntur, animis consternati solatio reficiuntur. Summatim, Prædicatio Verbi (quæ familiam ducit) pura & libera obtinet.

Equidem pastoralis cura multa requirit, sed Scriptura S. prædicationis opus cæteris Ecclesiasticis functionibus constanter ubique præponit. E.g. Ægroti omnino visitandi sunt, sic enim à Deo nobis est mandatum; at prædicatio Verbi propterea non est intermittenda, sed potius præmittenda, juxta *Luc. 9:2.* quia scilicet animæ morbis mendendum est prius quàm corporis. Sic pauperum etiam habere rationem & famelicos cibare convenit, at *æquum non est relinquere verbum Dei, & ministrare mensis*, iudicibus Apostolis, *Act. 6:2.* Ecclesia gubernanda est, sed tamen, ut illi *duplici honore digni habeantur, qui præsumt & laborant in verbo ac doctrina*, secundum illud *1. Tim. 5:17.* Apostoli præceptum. Denique etiam Sacramenta administrare Ministris Ecclesiæ incumbit, sed non nisi post prædicatum Evangelium, *Matth. 28:19. Marc. 16:15.* Videtis igitur, ut singulis prædicatio Verbi præferatur. Prædicatio insuper est actus, ad quem Minister præcipuè consecratur; & quia primarium ejus opus

DEDICATORIA.

opus hoc est, ideò Apostolus tam crebrò inculcavit suis auditoribus & tam obnixè à fidelibus expetivit illud: *Orate pro nobis, ut sermo Dei currat*, 2. *Thess.* 3:1. *Orate pro me, ut mihi detur sermo in apertione oris mei, ut liberè loquar, sicut oportet me loqui*, *Ephes.* 6:19. *Orate pro nobis, ut Deus aperiatur ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi*, *Colos.* 4:3. Neque solùm ideò, quòd prædicatio primarium opus Ministri est, hoc tam anxie ab Ecclesia petitur, sed præsertim etiam, quòd adeò difficile est, ut ad illud non simus idonei, si in nobis ipsis spectemur, sicut hoc ex pathetico Apostoli epiphonemate, 2. *Cor.* 2:16. liquidè constat, qui illuc cum admiratione quærit: *Quis ad hæc idoneus?* Cui quæstioni aptè ex *Job.* 33:23. responderi potest: *Vix unus ex millenis*. Ipsemet Moses, tantus Propheta, nihilominus de operis hujus difficultate conquestus est *Exod.* 4:10. Et Jeremias *cap.* 1:6, 7. Interim væ nobis, si hoc opus vel planè intermiserimus, teste Apostolo 1. *Cor.* 9:16. vel fraudulenter ac negligenter perferimus, teste Propheta, *Jer.* 48:10. Hoc unum requiritur, ut *fidi simus dispensatores mysteriorum Dei*, 1. *Cor.* 4:1, 2. *Nihil ad nos attinet*, inquit Lactantius, *quid judicent stulti, quid homunculi sentiant, assistentia Dei imploranda; promisit nobis eam*: Dabo vobis os & sapientiam, cui omnes adversarii non poterunt resistere, *Luc.* 21:15. Sic Salvator noster pollicitus fuit discipulis suis. Et Deus Mosi: *Ego ero cum ore tuo, & docebo te, quid loquaris*, *Exod.* 4:12. Nec non Jeremiæ, *cap.* 1:7. *Ne dicas puer sum: Ecce posui verba mea in ore tuo*. Et Jesajæ: *Ecce tetigit hic carbo ignitus labia tua, & aufertur iniquitas tua*, *cap.* 6:7. Quorsum verò ista, nisi ut ostenderet, quàm munus hoc & onus difficile sit in se, & cujus ope ac concursu in eo pergere queamus?

Ego, Domini mei Clementissimi, minimus sum omnium Prædicatorum, quorum magnum numerum in Ditionibus Vestris, Gallicis & Germanicis, dictum in finem alitis ac fovetis. Interim semper mihi animus fuit applicare etiam meum talentum, ex mera gratia à Deo secundum ipsius beneplacitum, mihi concessum, ad Domini mei gloriam, domus ipsius usum & domesticorum bonum; ut vas essem, quale 2. *Tim.* 2:21. describitur. Novi quidem, quòd Deus, (*qui summa cum exsuperantia, ὑπὲρ ἐκ πλεονασῆ, potest omnia facere supra ea, qua petimus, vel cogitamus, κατὰ τὴν δύναμιν τῆν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν*) uti Paulus loquitur *Ephes.* 3:20.) maximus sit etiam in minimis, & quòd the-

\*\*\*\*\*

saurum

EPISTOLA

*aurum suum habeat in nobis testaceis vasculis, ut ea hujus potentie supereminentia sit Dei, & non ex nobis, ἢ ὑπερβολῆ τῆς δυνάμεως, 2. Cor. 4:7.* Non tamen eò magis contemnenda est potio salutaris ægroto, quòd Medicus eam porrigens ipsemet valetudinarius sit: sicut nec thesaurus propterea vilipenditur, quòd vasculum, in quo continetur, ὀστέριον fit. Manus infantis etiam debilis & infirma valet porrigere margaritas preciosissimas; cibi in vasis testaceis mensæ appositi, non minus grati sunt, quàm illi, quos vasa argentea vel aurea continent; nec magni præcii cimelia propterea repudiamus, quòd ruptis saepe & vilibus in vasculis nobis afferantur, quia non tam fracturam operatorii, quàm precium rei reconditæ spectamus. Aurum acceptum venit, quod vel mendicus exhibet, dummodò purum id sit & exploratum. Sic Adamas, gemma pretiosa esse non desinit, etsi manus illum gestans sit leprosa. Quid omnibus hîsce velim, conjectû difficile non est; efficaciam videlicet verbi prædicati cæterarumque Dei ordinationum à dignitate Ministrorum non dependere.

Me quod attinet, nihil omnino curo, etsi vasculum meum testaceum, seu hydria mea, ut olim *Jud. 7:16.* conteritur, dum clango buccinâ, modò semper in manu tenere queam facem; modò lux, quam Deus in corde meo accendit, continenter splendeat coram auditoribus; ut Pater meus, qui est in cœlis, assiduè glorificetur; modò alii luce frui mecum queant, non multùm refert, cujus sit manus, quæ facem gestat; parùm interest, qui viam monstret, dummodo sit via cœli, quæ nos ad cœlestia gaudia ac sempiternam gloriam deducat.

Optimè mihi constat, non esse stationem hanc deferendam, quia monitum illud Christi gravissimum *Apoc. 2:10.* nunquam non animo meo obversatur: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Non incepisse, sed perfecisse virtutis est,* inquit August. ad frat. in eremo. f. 8. Quid juvat cum Lotho ex Sodoma evasisse, & cum ejus uxore medio in cursu in statuam salis obriguisse? Quid prodest manum admovisse aratro, & infeliciter respexisse? Quid cum Galatis in Spiritu cœpisse, sed turpiter in carne desuisse? Sæpius recorder illius Bernhard. Epist. 254. *Non ad annum vel ad tempus, sed in æternum di-vino te mancipâsti famulatui.* Nempe sicut Mater Samuelis filium suum perpetuo servitio Deo addixit, *1. Sam. 1:28.* Ipse rogatus precariò, inquit, à nobis mancipatus est Jehovæ & deditus ei omnibus diebus vitæ. *Non perseverare, cultus est mutilus.* Bern. Epist. 24.

## DEDICATORIA.

& 165. & de Temp. 56. *Judicium maximum est malæ mentis fluctuatio.* Senec. Epist. 120. Non inchoantibus, sed perseverantibus præmium promittitur. Quapropter pergendum, non subsistendum est. Ille plus delinquit, qui causam semel susceptam temerè iterum abrumpit, ac abruptam deserit, quàm qui nunquam illam aggressus est. Severissimum Dei ad Prophetam mandatum etiam nos concernit: *Exclama gutture, ne cohibeto, tanquam buccina seu tuba extolle vocem tuam, & indica populo meo defectionem ipsorum, & domui Jacob peccata ipsorum.* Jesa. 58:1. Ubi tria habemus verba, quæ, ut non nemo benè observavit, tres præcipuas Concionatoris virtutes nobis ob oculos ponunt.

1. *Clamandum est.* *Exclama* non frigidè, sed fervidè; sicut Partes boni Ministri. qui furdis loquuntur, clamare necesse est. Huc Christus respexit, quando filiis Zebedæi nomina *Boanerges*, h. e. *ἰῶν βροντῆς*, *filiorum tonitrui* imposuit, *Mar.* 3:17.

2. Non timidè clamandum est, sed *fortiter* & bellicosè, ut vox non tibiæ modulatum præ se ferat, sed clangorem *tubæ*; præco mititur adversus hostes Dei; Duces sunt exercitus Domini; pugnant dum prædicant.

3. Non ad tempus tantum & per intervalla clamandum est, duntaxat temporis fallendi aut animi relaxandi gratiâ, sed *indefinenter.* *Ne cesses, ne cohibeto.* Non otiandi, vix respirandi tempus indulgetur: Nulla *temporis* meta ponitur; non die solum totâ id facies, sed nocte quoque totâ, *Jesa.* 62:6. (8.) Nulla *vocis* meta ponitur, non sæpè tantum id facies, sed semper, *Jesa.* 62:1. (3.) *propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam.* Quis, ista audiens, non agnoscat, sacro igne Prophetam incensum, qui nec potuerit, nec debuerit extinguï? Lege fuit à Deo sancitum, ut ignis in altari semper arderet & nunquam deficeret, *Lev.* 6:12. (5.) *Et tu*, inquit Origenes, *si vis esse sacerdos Dei, prædicationis lucernam non sines extinguï. Dicas potius cum Jesaja: Non tacebo, non quiescam. Motum cælorum imitare quietis nescium. Memento verborum Domini: Ne cessa, ne cohibeto, sive sit verbum doctrinæ, ne cesses plantare; sive consolationis, ne cesses suffulcire; sive exhortationis, ne cesses rigare; sive increpationis, ne cesses secare. Pone securim ad radicem arboris, & si primo ictu cedri non cadant, adde secundum, & insuper tertium, donec excendantur. Ne parcas lateribus, clama; nec labiis, exalta vocem;*

EPISTOLA

*nec buccis, tuba audiatur; nec pulmonibus, ne cesses. Ure, seca, clama, velut ignis altaris, securis sanctuarii & tuba Dei.*

Mandatum hoc etiam nos omnes, qui buccinatores Dei sumus, attinet, & non minus quoque à nobis singulis in statione sua usque ad vitæ terminum, juxta observationes positas, accuratè servandum est, ac à Propheta. Hic enim locum habet illud *Dan. 12: 13. Tu autem abi ad terminum: & quiesces ac perstabis in sorte tua ad terminum usque dierum.* i.e. Tu autem vide, ut pergas in curriculo, quod superest, vitæ tuæ, contentus hac revelatione mea. Q. d. Mi Daniel, qui es vir desideriorum meorum, dimitto te, non videbis illas confusiones, quæ præ foribus sunt, quas vidisti in Spiritu, quasque tibi in imagine revelavi. *Abi ad terminum tuum:* hoc unice superest, ut te præpares ad mortem; at spe resurrectionis gloriosæ te ipsum erige, atque ad dura mortis tela confirma; splendebis enim splendore expansi, imò instar stellæ in sempiterna secula: secundum animam quiesces placidissimè in Abrahæ sinu, secundum corpus verò in terra usque ad resurrectionem justorum. Mors tua erit ærumnarum requies, *Apoc. 14: 13.* Interea *perstabis in sorte tua, לַגְּרָלָהּ*. LX. Interpp. habent: *Ἀναπαύσῃ καὶ ἀνασῆσθαι εἰς τὸν κλήρον σου, εἰς συντέλειαν ἡμερῶν.* Paulus verò, *1. Cor. 15: 23. in ordine tuo;* *ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ ἀγῶματι.* Dimissio fanè honorifica admodum & benigna; quæ nobis omnibus, qui adhuc in statione nostra strenuè & fideliter sudamus, assiduè obversari debet, quò & nos ad terminum usque nostrum perseveremus, qui procul omni dubio propius abest. Ad hujusmodi perseverantiam nos etiam exhortatur D. Apostolus, *1. Cor. 15: 58. Itaque, fratres dilecti, firmi estote, immoti, abundantes in opere Domini semper, cum sciatis, laborem vestrum non esse inanem in Domino.*

In statione hac Ministeriali & ego multos per annos Deo meo, in nomine Christi, virtute Spiritus S. sub favore ac tutela Vestra, Proceres Clementissimi, laboravi in Urbe hac Vestra & extra eam. Extra eam in Schola Aroviensi & Ecclesia Brugensi, in qua natus & educatus eram. Ex illa me anno 1644. vocaveratis clementer, ut Scholæ Vestræ inferiori præessem, ageremque Præceptorem octavæ Classis & simul Pædagogii Inspectorem. Sed vocatio hæc, seriâ Ecclesiæ Brugensis intercessione, irrita facta fuerat; ea namque communi voto à V. V. AMPLITUD. per Nobilissimum, Pientissimumque Virum, Dn. Joh. Fridericum Effingerum, Consulem, suppliciter petierat, ut  
sibi

## DEDICATORIA.

fibi diutius relinquerer. Quod etiam p. t. annuistis, hac tamen lege, si vocatio ad cathedram Ecclesiasticam subsequeretur, tunc quiescerent. Quod postea iterum contigit.

Secundò quippe me vocastis, anno 1645. ut feriâ quintâ (quæ erat 21. Aug.) in Templo Vestro maximo haberem Concionem *δοκιμασι-  
xv*, id quod etiam factum. Textus erat *Luc. 19:41. Et ut appropinqua-  
vit Jesus, visa urbe fleuit super ea, dicens: Si vel tu nôsses hoc saltem  
tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent, &c.* Inde in Diaconum Vestræ  
hujus Ecclesiæ allectus sum, atque ab eo tempore usque in hunc diem  
Vobiscum in Urbe vestra mansi; quibuscum difficultatibus ac oppo-  
sitionibus mihi fuerit luctandum, ab eo die usque ad præsentem ter-  
minum, Is novit, qui novit omnia; Interea tamen & multis quoque  
ac variis Vestris beneficiis perfrui licuit.

Quid egerim, quidve præstiterim in hac Bernatum Ecclesia per  
integros 24. annos, meum non est multis prædicare. *Verum tamen  
officium meum penes Jehovam est, & opus meum penes Deum meum;*  
uti Christi, Magistri mei, apud Prophetam *Jesa. 49: 4. Laboravi pro  
viribus cum meis Collaboratibus, non tamen ego, sed gratia Dei, quæ  
mecum est.*

*Ipse quidem studui bene de pietate mereri,  
Sed quicquid potui, gratia, Christe, tua est.  
Quid sum? Nil. Quis sum? Nullus. Sed gratia Christi,  
Quòd sum, quòd vivo, quòdque laboro, facit.*

Primitias laborum meorum in Vestra hac Ecclesia nunc de-  
mum Vobis Ampliss. Clementissimisque Dominis meis ac *Ἐπισκόποις*  
munificentiss. consecro, offero, habitas nempe coram Vobis in Tem-  
plo Vestro majori Conciones in Epist. D. Pauli ad Philemonem. Epi-  
stola est omnium brevissima: quibus autem causis motus illam su-  
sceperim, Vobis pro suggestu explicandam, reperietis in Sermone  
præliminar. Equidem ab initio animus non fuit illam prolixius tra-  
ctare; at Deo meo, qui suos mirabiliter ducit, aliter placuit.

Epistola hæc, verborum quidem ratio brevis est & succin-  
cta; sed (ut bene Dn Scultetus in hanc Epist. observavit) sic plena  
est lacertorum & roboris epistola, ut singulis ferè verbis singula ar-  
gumenta contineantur, adeoque rerum fœcundissima sit, uti vel ex  
hoc nostro Commentario liquere potest.

## E P I S T O L A

In quo quidem adornando ingenuè fateor, me varia adhibuisse adminicula, quæ Dei providentia mihi in manus tradidit. Perlustravi & veteres & recentiores Interpretes in hanc Epist. Ex Veteribus cum primis *Chrysostrum* & *Theophylactum*. Ex recentioribus *Calvinum*, *Bullingerum*, *Piscatorem*, *Bezam*, *Rollocum*, *Illyricum*, *Aretium nostrum*, *Hunnium*, *Gomarrum* (olim in Academia Grœnigana juxta Clariss. Dn. Henricum Altingium Præceptorem meum) *Dyckium*, *Johnum*, *Attersolum*, *Lambertum Danæum*. Quos omnes honoris causâ nomino. Horum alii brevibus tantum annotationibus, alii prolixioribus expositionibus me juverunt. Hæc libenter agnosco ac publicè profiteor: sic enim decet, & *justitia* quoque postulat, *ut suum cuique tribuatur*, (velut suprâ diductum) ne quis mihi jure illud Horatianum objicere queat:

*Quòd si fortè suas repetitum venerit olim  
Grex avium plumas, moveat cornicularisum,  
Furtivis nudata coloribus. —*

Verum quid multis hîc opus est, cum Salomonis jam tempore illud *Eccl. 1:9, 10.* obtinuerit: *Nihil novi sub sole; Estne aliquid, de quo dicitur, aspice, hoc novum est? quod jam fuit per secula, quod fuit ante nos. Nihil est jam dictum, quod non sit dictum prius.* Nec frustra Apostolus ait, *1. Corinth. 3: 22. Et Paulus & Apollos & Cephas, &c. omnia vestra sunt;* Omniaque eò tendunt, ut nos ad Christum ducant. *Ἐι πάντα κοινὰ τὰ φίλων, θεοφιλῆς δὲ ὁ ἀνθρώπος, πάντα τῷ ἀνθρώπῳ, ὅτι πάντα τῷ θεῷ.* Clemens in Protreptico.

Viatoribus sanè pergratum est premere vestigia ducum, qui rectam viam ipsis monstrârunt & secundum eam ambulârunt. Sic mihi jucundissimum fuit eminùs eos sequi, qui mihi exemplo & doctrinâ suâ præiverunt, quique in vineto Domini ante me fideliter operati sunt; & præcipuè illos, qui in tractatione hujus Epistolæ viam mihi monstrârunt, & glaciem fregerunt primi.

Nunquam in animo habui has evulgare Conciones aut typis mandare; probè namque mihi constat, quòd nunc in mundo vigenz Scribacitas, ambitionis quædam species sit & fructus; & quòd plures consequendi nominis ergò in publicam lucem protrudant etiam ea, quæ mundo magis oneri, quàm usui sunt. Si scripturienti-  
bus meritò annumerandus essem, Explicationem hanc jam ante com-  
plures

## DEDICATORIA.

plures annos, simul ac perfecta erat, prælo subjecissem. Jam autem illa inter alia manuscripta mea plurima, in scriniis meis diu occulta jacuit, nec unquam me vivente lucem hanc aspexisset, nisi aliquot amicorum, qui ex hisce meis lucubrationibus aliquod notitiæ & ædificationis incrementum sumserant, assiduis precibus huc fuisset pertractus: Inter quos fuere Reverendi & Doctissimi Viri, Joh. Rodolphus Straußius & Joh. Henricus Ringierius, olim mei domestici, jam Collegæ & Commilitones amicissimi, conjunctissimi; qui etiam manum auxiliatricem mihi in opere hoc edendo gnaviter præbuerunt: Imò sine ipsorum fideli obstetricatione huic operi enitendo vix par futurus fuisset; tum ob molem negotiorum ordinariorum, tum ob quotidianas infirmitates & debilitates, corpus meum frequenter & vehementer infestantes, quæ nulli, quibus ego notus sum, non sunt perspectissimæ. Potuissent, fateor, melius elaborari & plenius, at quibus nota est statio, in qua sum constitutus, illi me ultrò excusabunt. Non semper quod voluissem, licuit per occupationes; dies quandoque etiam noverca fuit. Sed dum curis hisce nostris, tyronibus prodesse liceat, contenti erimus. Operi primario accessit *appendix duplex; una continet vocem Christi in cruce pendentis, seu Explicationem Septem ultimorum verborum à Salvatore nostro in Cruce prolatorum; Cui annexus est Triumphus Christi Resurgentis. Altera vocem Christiani sub Cruce gementis; seu Expositionem desiderii Ecclesiæ, circa ultimum Sponsi sui adventum.*

Audivistis cum cæteris nostris Auditoribus, Viri & Patroni Spectatissimi, has Conciones; nunc eas potestis legere. *Lectio non minus legentis est cibus, quàm sermo audientis;* Ambros. Serm. 25. Et has & illas V.V. Amplitud. cum debita observantia inscribere volui: Singularis enim Vestra in me benevolentia omnem meretur, quam præstare possum, grati animi testificationem. Nihil moror censores, osiores & rofores eos, qui ex alieni nominis ruina gradum sibi faciunt ad gloriam suam; Omnia talibus displicent, propria solùm osculantur. Vos frequentes harum Concionum fuistis auditores; Vestrum igitur patrocinium implorant. Eæ continent verba veritatis, Vos autem ejus estis propugnatores. O quantum in Principibus ornamentum, commendatum & præceptum omnibus quidem hominibus, sed imprimis illis, qui populum gubernant! Ejus præstantiam quoque Plato agnovit, qui rogatus, *Quid homines Deo similes faceret?*

E P I S T O L A

respondit: *Cùm veritatem exercent.* Vos estis mei Evergetæ: Vobis gratum cupio testari animum, præterea enim nihil habeo. Vos quaeritis *quæ vera, quæ veneranda, quæ justa, quæ pura, quæcunque boni nominis, si qua virtus, si qua laus est, Phil. 4:8.* Talia fanè in Epist. hac reperiri, ipsa Vos experientia docebit. Hinc ad Vos accedere audeo. Deus novit, alium scopum mihi non præfixum, quàm sanctissimi Dei nostri laudem & gloriam, ac Ecclesiæ Christi ædificationem & salutem proximi. Calidissimis votis à Deo Opt. Max. contendo cum Psalte, *Pf. 71:17, 18, 19.* ut, quemadmodum *me à pueritia mea docuit hucusque indicare & depradicare eum in finem mirabilia sua,* velit mihi proporrò adesse etiam *nunc, quando senex & canus sum,* quò possim ad ultimum vitæ halitum *ministrare ac prædicare sermonem Dei, tempestivè, intempestivè, arguere, objurgare, exhortari cum omni lenitate tamen & doctrina: donec indica vero brachium Dei huic generationi, omnémque ejus fortitudinem omni venturæ generationi.* Nam *justitia tua, Deus, in altum usque assurgit: quia facis res magnas. Deus quis est par tibi?*

Concludam, DD. Clementiss. unde initium feci. *Justitiam* Vobis commendavi multis nominibus, quò porrò *nationem* Vestram *exaltare,* & omnis generis iniquitates, quæ *probro* sunt *nationi* ac populo, exterminare feliciter queatis. Novimus enim, quòd Pietas & Justitia duo sint Reip. fulcra & totidem Statuum columnæ. O quanta virtus Justitia! dignitas ejus ex fructibus colligitur. Magistratus, qui virtutibus hisce est præditus, *Pietate* putà, & *Religione; Integritate & Sinceritate; Justitia & Humilitate; Misericordia & Mansuetudine; Sapientia & Intelligentia,* seu verà *cognitione; Magnanimitate & Constantia intrepida:* Talis Magistratus ipse piè ac religiosè vivit, integritati sinceritatique studet, humilis manet, clementiam atque mansuetudinem exercet, omnia sapienter & ex præscripto Religionis disponit, constanter & infracto animo in omni bono perseverat. Non *mutat in absinthium jus, nec justitiam humi collocat, Amos 5:7.* Non *accipit munus è sinu, ut pervertat semitas juris, Prov. 17:23.* Non *absolvit improbum, nec condemnat justum, ibid. vers. 15.* Non *accipit munus ad percutiendum quenquam cade innocentis, Deut. 27:25:* Non *pervertit jus peregrini, pupilli & vidua, judicat populum judicio justo, justitiam justissimam sectatur, ut vivat & hereditario jure possideat terram, Deut. 16:18, 19, 20.* Uno verbo, Justitiam

## DEDICATORIA.

Justitiam administrat debito modo, quem Vobis suprà fusiùs monstravi. At monstrâsse minimè sufficit; obtestor Vos meos Dn. Illustriss. ferio, ut sitis hujus justitiæ amatores & cultores, siquidem Dii estis, Angeli estis, Homines Dei, Vicarii Dei justii, qui adest in medio Vestri, qui inter Vos judicat. Administrate, quæso, justitiam hanc, quæ nexu suo cæteras Virtutes omnes copulat, 1. *Impartialiter*, absque respectu personarum. 2. *Promptè* & *expeditè*, absque tergiversatione. 3. *Integrè* & *sincerè*, ex mero justitiæ amore. 4. *Deliberatè* & *prudenter*. 5. *Intrepidè* & forti animo, sine consternatione. Nam *trepidus homo, tendiculam sibi ponit, Prov. 29:25*. 6. *Exactè*, juxta præscriptum divinum. 7. *Secundum auream Christi regulam, Matth. 7:12*. Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis. 8. *Cum misericordia* tamen & mansuetudine, magis compulsi officii necessitate, quàm judicandi libidine. Judex enim pius dolet, quoties cogitur esse ferox. Sic, sic (Patres Patriæ nostræ) administrate justitiam, & *hæc justitia Vestra exaltabit populum Vestrum*.

Interea; quod omnium præcipuum est; Mementote *Justitia* Domini nostri *Jesu Christi*, quæ omnia nostra peccata tegit, ne in conspectum Dei veniant, quæ nos omnes exaltat, & cœli hæredes constituit. Est illa justitia, quam nobis sanguine suo acquisivit, in qua nobis comparandum est coram throno judicii. Hæc justitia est perfectissima, nihil illi deest; Non est amissibilis, velut Adami & Angelorum primigenia, sed inamissibilis, quia est *Justitia æterna, Dan. 9:24. Heb. 9:12*. Est justitia, quæ quidem in Christo habitat, sed nobis imputatur, ideòque dicitur *Justitia imputata, Rom. 4:5. Justitia justificationis, Rom. 5:1. Justitia Christi*, quia eam meruit; *Justitia fidei*, vel per fidem Christi, *Phil. 3:9*. quia fides illam apprehendit. *Justitia Ecclesiastica*, quia Evangelium illam declarat. *Justitia Dei, Matth. 6:33*. quia datur à Deo, à quo omne donum bonum, *Jac. 1:17*. Est *ex Deo per fidem, Phil. 3:9*. Grata est Deo, *Luc. 1:6*. Est conformis Deo, *1. Joh. 3:7. Qui exercet justitiam, justus est, sicut ille justus est*.

Hæc justitiâ, tanquam thorace induti, cum fiducia & gaudio coram throno judicii comparere possumus. Nam *nulla est condemnatio iis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8:1*. Ob hanc justitiam Deo Patri grati & accepti sumus: Hæc omnibus est necessaria ad salutem,

Justitia  
Christi in-  
justitiæ no-  
stræ reme-  
dium.

E P I S T O L A

tem, in quocunque statu & conditione simus, five Præpositi, five subditi; Absque ea salus speranda non est. Hinc *beati* prædicantur, *qui esuriunt & sitiunt hanc justitiam, Matth. 5:6.*

*Hæc justitia* etiam Vobis est necessaria, qui populo præestis, ut vidistis ex 2. *Sam. 23:3.* Illi soli sunt boni Principes & Magistratus, qui hac justitia donati; & illi soli erunt justitiæ prædicatæ cultores & administratores secundum præscriptum divinum, uti superius delineavimus.

*Dico vobis* (verba sunt Christi ad suos discipulos & auditores, *Matth. 5:20.*) *nisi abundaverit vestra justitia plus quam Scribarum & Pharisaorum, vos nequaquam ingressuros in regnum cælorum.* Alii forsân meliùs sic reddunt verba hæc, *ἐάν μὴ περισσεύσῃ, nisi præstantior fuerit justitia vestra.* Nomen enim *περισσὸν* non abundans solum, sed etiam *eximium & præstans* significat. Velut *Matth. 5:47.* & *Rom. 3:1.* Sunt qui hîc *justitiam propriam* intelligunt, seu homini inhærentem, quæ in nobis est, non ex nobis, ut August. *Epist. 143!* (quæ etiam dicitur impertita, *Eph. 5:9.* Item justitia sanctificationis, *1. Cor. 6:11.*) sunt qui intelligunt *justitiam alienam* (si Christi justitia aliena dici potest,) illam nempe, quam modò descripsimus, quæ est in Christo, sed nobis imputata. Ego neutram excludo h. l. Nam ubi justitia justificationis, ibi & sanctificationis justitia est; & ubi justitia Christi imputata, ibi etiam impertita. Quoniam Christus *nobis factus est à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1:30.* Oportet utramque habere, inhærentem seu propriam, *ut sistamus membra nostra arma justitiæ & mancipia justitiæ ad sanctimoniam, Rom. 6:13.* *Debemus servire Deo omnibus diebus vitæ nostræ cum sanctitate & justitia, Luc. 1:75.* Oportet etiam habere imputatam illam, quæ est Christi, secus vitam ingredi nequaquam possumus, ut suprâ dictum. Imò absque hac, justitia propria Deo placere non potest, imò nulla est. Itaque necesse est omnino, ut nostra justitia præstantior sit illâ Scribarum & Pharisaorum, qui nec hanc, nec illam habuerunt veram & sinceram, nedum perfectam. At de hac & illa justitia prolixius egi hoc ipso in Commentario, *Conc. 181. p. 402. 403.*

Deum Opt. Max. & Max. Opt. devotè rogo, velit Vos, nostros Dominos; nos, Vestros subditos, in statu Politico, Ecclesiastico & Oeconomico beare hac ipsâ Justitiâ præstantiori, per & propter D. N. J. Christum, Amen!

Susci.

## DEDICATORIA.

Suscipite benigna mente & manu, Vestróque etiam favore fovete ea, quæ Vobis hîc offeruntur ab eo, qui manibus expansis, capite nudo, coram throno Gratiaë, cùm publicè, tùm privatim precibus certat, ut Deus Vestram velit confirmare in bono Remp. largiri vitam prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & vitæ hujus spatio feliciter decurso, Vitam perennem & coronam immarcessibilem,

Tertull. in Apolog.

A M P P. ac C E L S S. V. V.

*Devotissimo, humillimo ac observantissimo  
Servo in Domino, Subdito, ac Cliente,*

Bernæ, ex Museo meo, die  
1. Septemb. Anno 1670.

JOH. HENRICO HUMELIO,  
Ecclesiæ Christi, quæ apud Vos Bernæ  
colligitur, Ministro, & Classis Decano.

